



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

Liber CCI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)




Pax Monasterii et Osnabrugæ in
Westphalia Conclusa.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.
LIBER CCI.

URBAN. VIII. & INNOCENTIUS X.
PONTIF. MAXIM. FERDIN. III.
OCCID. IMPERATOR.



§. I.

Franciæ Regis mandatum ad Sacram

*Facultatem Parisinam de recipienda & exe-
cutioni danda Bulla Urbani VIII.*

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

Postquam Molinistæ Parisiensem Ar-
chiepiscopum ad recipiendam Ur-
bani VIII. Papæ Bullam induxe-

*Hist. de cinq.
Prop. de
Jans. p. 3.*

Hist. Eccles. Tom. LXI,

A

rant,

Sæc. XVII. rant, nullum non movebant lapidem,
A. C. 1644. ut eandem quoque a Sorbona accepta-

Argentre
coll. Jud.
t. 3. p. 49.
Bibl. Sorb.
v. 6. 3.

ri, Regia auctoritate impetrarent: nec
id defuncto Ludovico Rege, magnæ
molis opus erat; Regina enim, nec-
non Condæus Princeps, penes quos
Ludovico XIV. nondum sex annos nato,
suprema Regni administratio erat, non
modo Sedi Apostolicæ, sed & Jesuitis
summopere favebant. Horum igitur
impulsu ad facultatem Theologicam die
vigesima septima Novembris anni prio-
ris unacum Pontificis Bulla a Grimaldo
Pontificis Nuntio ac Cardinale per Lu-
tumerium Abbatem deferuntur literæ,
quæ Ludovici Regis nomen & Sigillum
præseferabant, hujus tenoris. „Jam
„olim summus Pontifex dissensionibus
„in Ecclesia exortis qb varios tracta-
„tus circa gratiæ auxilia & liberum ar-
„bitrium compositas compulsus erat,
„ut ad Prædecessorum suorum imitatio-
„nem promulgaret decretum, quo om-
„nibus cujuscunque conditionis &c. in-
„hibitum, ne circa hæc materias ul-
„los vulgarent tractatus: Hoc idem al-
„tero decreto innovavit Pontifex, ac
„librorum ultro citroque contra primam
„inhibitionem compositorum lectionem
„vetavit: postmodum continuato Ec-
„clesiæ unitatem, ac doctrinæ purita-
„tem conservandi studio, factoque libri
„a Jan-

„a Jansenio compositi examine, cum Sæc. XVII.
 „plures propositiones jam antea a Sacra A. C. 1644.
 „Sede damnatas innovari cognovisset,
 „suo decreto Mense Martio anni post
 „Christum natum millesimi sexcentesi-
 „mi quadragiesimi primi emanato hu-
 „jus libri lectionem specialiter prohi-
 „buit; cum vero nos probe perspectum
 „habeamus, ac fideliter edocti fueri-
 „mus, quod libri de hoc argumento
 „tractantes, & nominatim Jansenii li-
 „ber Parisiis excusus cunctos omnis
 „generis & conditionis subditos tanto-
 „pere commoverit, ut non raro in con-
 „tentiones, quæ progressu temporis
 „tranquillitatem publicam perturbare
 „possent, proruperint; hinc consultum
 „censuimus, ut piæ & laudabili San-
 „ctitatis suæ intentioni respondentes
 „præfatum ejusdem Decretum vobis
 „transmitteremus, mandantes, ut il-
 „lud ad acta referatis: volumus quo-
 „que & confidimus, fore, ut in dispu-
 „tationibus publicis Sorbonæ vel alibi
 „habendis nihil in præfati Decreti præ-
 „judicium, multo minus contra Ordini-
 „nem & antiquæ poenitentiae usum pro-
 „ponatur, hacque ratione dissensiones,
 „quæ harum quæstionum discussione in
 „Franciæ Regno oriri possent, præpe-
 „diantur &c.,

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

§. II.

Facultatis Theologicæ responsum.

*Habert de-
fens. de la
Foi de
l'Eglise.*

Accepta hac Regis epistola Sacra Theologiae Facultas die prima & decima quinta Januarii Comitia in Aula Sorbonica habuit, ac consultatione facta circa Urbani VIII. Bullam hanc integram acceptari haud posse censuit, eamque ad acta referri distulit: „quia in „hoc diplomate prohibitio innovatur, „qua Pius V. de rebus in sua Bulla „contentis ac reprobatis, *posthac quoque „modo loquendi, scribendi & disputandi „facultatem quibuscunque interdiximus, in- „quit Præterea Urbanus VIII. „cum Paulo Papa V. vetat, ne quis „in materia de auxiliis divinæ gratiæ „etiam sub prætextu commentandi san- „ctum Thomam, ullam scriptionem in „lucem edat, nisi ad tribunal Romanæ „inquisitionis perlata sit, ibique appro- „bata. Denique Urbanus VIII. sub pœ- „na excommunicationis interdicit: Ne „quis cujuscunque conditionis, & qualita- „tis sit . . . de prædictis, ut supra dam- „natis, & in prædicto libro Jansenii con- „tentis, aliisque ut infra sub insertis ar- „ticolis, opinionibus, sententiis, libel- „lis, orationibus, scripturis, epistolis, „thesibus quoquo pacto loqui, scribere „&*

„& disputare audeat At Sacra Sæc. XVII.
 „Facultas Parisiensis de omnibus par- A. C. 1644.
 „tibus sacræ doctrinæ a Magistro Sen-
 „tentiæ traditæ, atque adeo etiam
 „de auxiliis divinæ gratiæ disputandi,
 „& scribendi licentiam semper habuit.

Igitur Facultas quosdam deputabat
 Magistros, qui Cardinali Grimaldo
 Nuntio Apostolico præfatas causas ex-
 ponerent, simulque sequens Facultatis
 responsum traderent: Cum allata fuisset hæc Bulla *in eminenti* ad Sacram
 „Theologiæ Facultatem a Reverendis-
 „simo Abbate Lutumerio ex parte Emi-
 „nentissimi Cardinalis Grimaldi, con-
 „sensu etiam ac jussu Regis interve-
 „niente: ea lecta & matura delibera-
 „tione habita, censuit Facultas: Quoad
 „doctrinam plene recipiendam esse sum-
 „ma cum veneratione, & prohibendum
 „esse omnibus, ac singulis Doctoribus,
 „& Baccalaureis, ne ullam ex propo-
 „sitionibus in ea Bulla notatis, ac pro-
 „hibitis sustinere, ac defendere au-
 „deant. Quoad alias vero difficultates
 „Bullæ, procrastinandum esse, donec
 „mens summi Pontificis quoad prohi-
 „bitionem disputationum de gratia, &
 „quoad censuras plenius intelligatur.
 „Adierunt itaque plurimi Doctores Emi-
 „nentissimum Cardinalem Nuntium,
 „eumque de iis difficultatibus prohibi-

A 3

„tionum

Sæc. XVII. „tionum ac censurarum consuluerunt,
A. C. 1644. „qui respondit ipsis, eas intelligi quo-
 „ad propositiones damnatas tantum mi-
 „nime docendas ac sustinendas. Ita ab
 „eo acceperunt D. Charlon Poeniten-
 „tarius Ecclesiæ Parisiensis. D. Halle-
 „rius Regius Professor Theologiæ, D.
 „Habert Canonicus ac Theologus Ec-
 „clesiæ Parisiensis, & Duval Regius
 „Professor Theologiæ, & complures a-
 „lii. Quod inculcare voluimus, ne quid
 „scrupuli veram ac salubrem de gratia
 „Theologiæ antiquæ doctrinam profi-
 „tentibus, ac docentibus emergeret,
 „aut hæreret.,,

Eapropter Facultas cunctis prima
 Doctoratus laurea donandis inhibuit,
 ne propositiones a Pio V. Gregorio XIII.
 & Urbano VIII. Pontificibus damnatas
 propugnarent. Antonii tamen Arnaldi
 Sorbonæ Doctoris prima apologia pro
 Jansenio contra Habertum publicis ty-
 pis prodiit, quam mox idem Habertus
 confutavit, numerum vero hæresum,
 quarum quadraginta in Jansenii libro
 detexisse asseruerat, nunc ad duode-
 cim restrinxit, nec tamen præpedire
 valuit, quo minus Arnaldus adhuc
 duas alias ejusmodi Apologias vul-
 garat.

§. III.

§. III.

Quorundam oppositio in Belgio contra eandem Pontificis Bullam.

Acrius adhuc nonnulli sese in Belgio acceptationi Pontificiæ hujus Bullæ opponebant; dum enim Lovanien-
 sis Universitatis Rector hoc anno die
 decima sexta Februarii hac super re co-
 mitia haberet, Doctorum potissimi pa-
 lam declararunt, quod Jansenius in
 suo opere Divi Augustini vestigia presse
 secutus, nullius erroris redargui possit:
 nihilominus Belgii Gubernator, cum a
 Molinistis importunius urgeretur, datis
 literis Episcopos hortabatur, ut singuli,
 an Jansenii liber, ac promiscua illius
 lectio tumultus, populique offensionem
 excitaret, solerter indagarent, atque
 intra trium hebdomadarum spatium de-
 super referrent, suamque sententiam
 ingenua fide promerent. Huic man-
 dato Episcopus Namurcensis morem
 gerere recusabat, ex ceteris Episcopis
 quidam in Jansenii favorem responde-
 runt, ejus librum nulli nisi Augustinia-
 næ doctrinæ hostibus offensionem fuisse:
 alii vero Bullæ acceptationem intem-
 pestivam, novisque turbis obnoxiam,
 non pauci etiam post Baij errores jam
 dudum damnatos superfluum fore re-

Abrege de
l'hist. Eccl.

t. II. p. 47.

Abrege
chronol. t. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1644. scripserunt: Perceptis Præfulum senti-
 tentiis Gubernator disputationibus fi-
 nem imponi præcepit, donec de Regis
 Catholici voluntate constaret: ad eun-
 dem enim Regem cuncta Præfulum ju-
 dicia Madritum fuere transmissa, qui-
 bus mature discussis Rex datis literis
 Urbanum Papam rogabat, ut Romæ
 Jansenii librum a Theologis sedulo exa-
 minari curaret, interim vero haud ini-
 quo ferret animo, si Bullæ promulga-
 tio differatur, donec nova Theologo-
 rum sententia de hoc libro fuisset pro-
 nuntiata.

§. IV.

Sacræ Congregationis responsum ad Lovaniensium Deputatorum querelas.

*Jansenis.
 Hist. Brevis
 pag. 37*

Cum vero Lovanienses Deputati Ro-
 mæ Pontificiæ Constitutionis au-
 thographum sibi exhiberi, impensius
 peterent, seque hucusque non auditos
 fuisse quererentur, hinc summus Pon-
 tifex non modo authenticum Bullæ
 exemplar eis ostendi, sed etiam plenam
 illis suas rationes proponendi faculta-
 tem concedi, Sacræ Congregationis
 Judicibus præcepit: Morem illico Sa-
 cræ Congregationis supremæ & uni-
 versalis Inquisitionis Patres gesserunt,
 ac

ac die decima sexta Junii hoc anno De- Sæc. XVII.
putatis sequens decretum tradidere. A. C. 1644.

„Cum post publicatam Bullam Sanctif-
„simi Domini Nostri contra Librum Cor-
„nelii Jansenii olim Episcopi Iprensis,
„cui titulus: *Augustinus*, excitatæ fue-
„rint variæ difficultates occasione di-
„versitatis exemplarium Bullæ præfa-
„tæ, & aliorum, de quibus in nonnul-
„lis libellis, divulgatis, cumque per
„Joannem Sinnichium & Cornelium Pa-
„pium Doctores Universitatis Lovanien-
„sis fuerint præsentatæ litteræ ejusdem
„Universitatis, necnon porrectus sup-
„plex libellus Sanctissimo Domino no-
„stro pro dictæ Bullæ veritate, & in-
„tentione Sanctitatis suæ circa illam
„indaganda: Idem Sanctissimus litte-
„ras & libellum præfatum Sacræ Con-
„gregationi supremæ Inquisitionis re-
„misit, ut per eam de contentis in il-
„lis informaretur, prout successive in-
„formatus mandavit per Eminentissi-
„mos ac Reverendissimos DD. Cardi-
„nales Bernardinum Spadam, Joannem
„Baptistam Pamphilium, & Lælium
„Falconerium, tres ex supremis Inqui-
„sitoribus, ante dictos Sinnichium &
„Papium audiri, & deinde Sanctitati
„suæ ab eis deducta referri. Qui qui-
„dem Domini Cardinales, in executio-
„nem dicti Mandati, præfatos Docto-

A 5

„res

Sæc. XVII. „res verbo & scripto multa deducentes,
A. C. 1644. „tum congregatim tum privatim audi-
 „verunt; eaque omnia in præfata su-
 „prema & Universali Congregatione
 „prius communicata, ac ibi pluries di-
 „scussa, una cum voto ipsius Congre-
 „gationis Sanctissimo Domino Nostro
 „diligentissime retulerunt. Sanctitas
 „vero sua audita relatione & voto præ-
 „fatis, necnon omnibus mature per-
 „pensis & consideratis, mandavit ex
 „Archivio ejusdem Congregationis, &
 „ex matrice Actorum, quæ in eodem
 „Archivio conservantur, extrahi sive
 „transcribi, & diligenter collationari,
 „ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ,
 „illudque sic extractum, collationatum
 „& impressum, eisdem Sinnichio &
 „Papio, per supradictos DD. Cardina-
 „les Spadam, Pamphilium, & Falco-
 „nerium consignari, ipsisque insuper
 „Sinnichio & Papio intimari, & signi-
 „ficari, suæ Sanctitatis mentem & vo-
 „luntatem esse, ut eidem exemplari
 „sic consignato fides adhibeatur, & ab
 „omnibus Christi Fidelibus Bullæ hu-
 „jusmodi omnino pareatur, sub poenis
 „& censuris in ea contentis: & de-
 „num super dubitationibus, difficul-
 „tatibus, ac querelis occasione præfa-
 „tæ Bullæ quoquo modo excitatis vel
 „excitandis perpetuum silentium im-
 „poni,

„poni, prout imposuit, & ita &c. Non
 „obstantibus omnibus & quibuscunque
 „in contrarium adductis & deductis &c.
 „Insuper Sanctitas sua mandavit juxta
 „sensum præfatum scribi per eandem
 „S. Congregationem Nuntiis Apostoli-
 „cis ac locorum Ordinariis, & expe-
 „diri etiam litteras ad Gubernatorem
 „Flandriæ, & Universitatem Lova-
 „nensem, & ad alios &c.

Sæc. XVII.
 A. C. 1644.

§. V.

*Urbani VIII. Constitutio in Belgio
recepta.*

Defuncto autem Urbano VIII. ejus
 Successor Innocentius X. tam assidue,
 tamque vehementer apud Philippum
 IV. Hispaniæ Regem instabat, ut
 tandem hic Princeps Bullam in Belgio
 promulgari præciperet: Insuperhabito
 tamen Regis mandato, Brabantinus
 Senatus promulgationi obstitit, Uni-
 versitas quoque Lovaniensis quosdam
 ad Regiam Curiam supplicatum emi-
 sit, quatenus & Pontifex rogaretur, ut
 palam declararet, quod ipse Divi Au-
 gustini doctrinam approbaret, eique no-
 va hæc Bulla nullatenus adversaretur:
 Urgente autem Pontificis Internuntio,
 aliisque Jansenio adversis, imo ipso
 Papa etiam atque etiam interpellante,
 Rex

Sæc. XVII. Rex a Mechliniensi Archiepiscopo, & A. C. 1644. Gandavenſi Præſule cauſſas, ob quas præſatam Bullam in Belgio recipere detrectarent, exponi præcepit: Hi vero illas ad ſequentes reducere. I. Hæc Bulla eſt ſubreptitiæ obtenta, & contra Papæ mentem ac mandatum nominatim Janſenium perſtringit, novisque turbis fomitem præbet. II. Divi Au- guſtini doctrina quæſito Janſenium impugnandi obtentu impetitur. III. Janſenii liber nondum legitime diſcuſſus eſt. Poſtea tamen jubente Rege Epiſcopi hanc Bullam, ut memorabimus, promulgarunt, eamque Duaceniſis Univerſitas recepit, obluſtantibus adhuc Lovanieniſibus, qui etiam diæ decima quinta Martii literas ad Pariſienſes Theologos dederunt, ut eos a ſuſci- pienda Urbani Bulla averterent.

§. VI.

Tumultus in Ambianenſi Diœceſi con- citati ob Patris le Juge Sermones.

*Recit Veri-
tabl. du Pro-
cede de
l'Eveq.
d'Amiens
pag. I.*

Quamprimum Urbani VIII. Bulla, qua Janſeniani Auguſtini Lectio pro- hibebatur, in Galliis divulgari cæpe- rat, mox circa ipſam hujus Auctoris doctrinam præcipue inter Clericos opi- nionum animorumque diſſenſio orta eſt: vulga-

vulgabantur indies scripta sat amaru- Sæc. XVII.
lenta non tam veritatem inquirendi, A. C. 1644.
quam oppositæ parti contradicendi stu-
dio: alii veritatem ex ipsa veritate im-
pugnabant, æmulationem istam oppe-
rante ipsa tam erroris, quam veritatis
ignorantia: Molinistæ adversus illos,
qui se Sancti Augustini Discipulos di-
cebant, in scholis & templis præcoci
Zelo detonabant, inde rixæ, offensio-
nes, & schismata, quibus tempestive
obviam ire non prætermittebant vigi-
lantissimi Franciæ Præsules, quos in-
ter præcipue Ambianensis Episcopus
hoc anno luculentum edidit specimen:
Dies erat Dominica, ut vocant, Quin-
quagesimæ, in qua Pater Christopho-
rus le Juge Jesuita in Ecclesia Collegii
sui sermonem ad populum habuit, in
quo contra quosdam *Gratiæ Prædicato-
res*, quo nomine Labadæum Canoni-
cum, & Dabillonium Theologiæ Docto-
rem, nominatos ab Episcopo Concio-
natores acriter invehebatur, atque ad
tantum immoderati Zeli impetum pro-
rumpebat, ut ambos, eoquod, ut in-
quit præfatus Præsul, *sæpius gratiæ
Christi necessitatem populo inculcassent*,
Apostatas, Hæreticos, idiotas, Cal-
vinistas & Lutheranos, Lurcones, &
Mysteriorum Dei indignos appellaret:
inde autem ingens populi offensio,
Cle-

Sæc. XVII. Clericorum indignatio, & communis
 A. C. 1644. perturbatio, eo vel maxime, quod hic
Concionator non tam Catholicæ fidei
 studio, quam suæ Societatis, ac Mo-
 linianæ doctrinæ Zelo, adversæ partis
 homines infectatus crederetur: adeo
 privatæ utilitatis suspicio etiam verita-
 tis patrociniū exosum reddit. Aberat
 eo tempore Ambianensis Urbis Episco-
 pus, Parisiis ob Cleri negotia detentus:
 comperto autem tumultu mox inde re-
 versus, malo remedium opponere ad-
 laborabat.

§. VII.

*Vitæ periodus Joannis Labadie &
 Andreæ Dabillon.*

Arnold. hist. Eccl. suppl. l. 16. p. 3. num. 26. **P**ungebat acrius non modo ambos
 hosce a Jesuita offensos Doctores,
 sed quamplurimos ipsorum fautores im-
 modica intemperies, qua tanquam *Apo-
 stata* traducebantur; existimabant enim,
 hanc eis calumniam fuisse ideo impa-
 ctam, eoquod ambo per plures annos
 in Societate vixerint, eamque dimi-
 ferint: quocirca succincte de utriusque
 fatis pauca referre, haud incongruum
 erit. Igitur Joannes Labbadeus ob ra-
 ram indolem, ingenii ac judicii sagaci-
 tatem decimo septimo ætatis suæ anno
 a Jesuitis susceptus, biennio post sim-
 plici,

plici, ut vocant, sponse se Societati devovit, ac Rhetoricam necnon Philosophiam tradere jussus, varios libros præcipue tractatum de gratia, & efficaci vocatione elucubrabat, Societatis doctrinæ minus conformem; assiduus vero studiis corpore nimis debilitato Marefcottus Provincialis accersito Medici consilio rem eo deduxit, ut Bartholomæus Jaquinotius Aquitanix Provincialis potestate sibi a Mutio Vitellesco Societatis Generali facta, Labadæum ab omni erga Societatem obligatione liberum die decima septima Aprilis anno Christi millesimo sexcentesimo trigesimo nono dimitteret. Exulta veste Religiosa variis in locis Verbum Dei cum maximo Auditorum applausu prædicabat, a sociis tamen apud Senatum Burdegalensem de Calvinismo accusatus, orthodoxiam suam vindicavit: inde vero Parisios delatus, crescente nominis sui fama a Francisco Caumartino Ambianensi Episcopo rogabatur, ut Ecclesiæ suæ Cathedralis Concionatorem ageret. Sub idem tempus Parisios venerat Andreas Davillon, qui pariter a Societate, in qua per plures annos vixerat, *justis de causis* die quinta Aprilis anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo primo dimissus fuerat.

§. VIII.

Sæc. XVII.

A.C. 1644.

§. VIII.

Ambianensis Episcopi sollicitudo ad reparandum scandalum.

*Nouvell.
Recueil des
affair. du
Clergé de
France t. 2.*

Postquam Episcopus Ambianum redierat, plures variæ conditionis Viri illum accesserant, deferentes, quod Societatis Patres populum, suosque Scholares, ne Labadæi & Davillonii concionibus interessent, gravibus verbis dehortati, illos etiam, quos frequentius interfuisse noverant, durius habuissent: eapropter Episcopus die vigesima septima Februarii, ut moderate, ac sine strepitu querelis satisfaceret, Regios quatuor Urbis Ministros clam ad suum Palatium convocabat, ac P. Feucquerium Collegii Rectorem unacum Patre le Juge Concionatore adesse jusserat. Comparuit Pater Rector, ac loco Patris le Juge comitem habuit Patrem Leuverinum, qui Patris Concionatoris partes ageret. Hujus absentiam dissimulans Episcopus, utrique exposuit, quod plurimum testimonio compertum haberet, Patrem le Juge non sine magna populi offensione Episcopales Prædicatores tanquam Calvinistas & Lutheranos palam traduxisset, nunc ergo ingenue edicerent, an quispiam ex illis, qui ab Episcopo ad Præ-

Prædicandum Dei Verbum designati Sæc. XVII.
essent, hæreticas propositiones divul- A. C. 1644.
garint, aut ipsi quosdam pro hæreti-
cis & Apostatis haberent? Ad hoc
ambo negando responderunt: Ergo,
reposuit Episcopus, vestri scholarum
Magistri non sine injuria suis scholari-
bus inhibuerunt, ne horum Conciona-
torum sermonibus interessent, eosque
tanquam hæreticos & Apostatas diffama-
runt: denuo ad hæc respondit P.
Rector, quod Collegii Concionatorum nun-
quam illis hanc labem inurere intende-
rit. Hac excusatione contentus Præ-
sul, Patri Rectori proposuit, ad red-
dendam fluctuantis populi tranquillita-
tem consultum fore, ut proxima Do-
minica Pater le Juge, præsentente Epi-
scopo, in sua Ecclesia e pulpito, omni,
qua posset, verborum cautela ac leni-
tate, quin ullo pacto quicquam in So-
cietatis præjudicium proferat, men-
tem suam declararet, illosque, qui si-
nistra interpretatione ejus sermones ex-
cepissent, dedoceret: si vero hic Con-
cionator tunc id facere recusaret, ei-
dem viginti quatuor horarum inducias
adhucdum Episcopus concederet, qui-
bus evolutis hic secundum juris rigorem
procedere teneretur. His perceptis am-
bo Jesuitæ recesserunt: altera autem
die P. Rector reversus, Episcopo decla-
rabat,

Hist. Eccles. Tom. LXI.

B

rabat,

sæc. XVII. A. C. 1644. rabat, quod, si petito annuisset, a suo Patre Provinciali vehementer objurgatus fuisset, cumque ejus Concionator non erraverit, nec etiam talem erroris revocationem facere obstrictus esset, quia ejusmodi publica declaratio Societatis famæ derogaret, ipse autem Concionator ultro declararet, quod neminem designare vel offendere intenderit, imo se nullam æternæ vitæ partem habiturum, jurato professus sit, si quempiam ex Concionatoribus ab Episcopo constitutis pro hæretico vel Apostata habuisset. Igitur Episcopus de novo Rectori proposuit, quod paterno affectu rem componere intentus, auctoritatis suæ severitatem nonnisi invitatus exercere compelleretur, proin cum de fraternis conscientiarum anxietates sedandi mediis consulturus, jam bina vice Patres vocasset, etsi se innoxios crederent, ex charitate tamen proximi ad tollendam offensionem, ad quam juxta accusantium testimonia saltem ansam dederunt, concurrere deberent, si vero se injuste læsos probaturi essent, plene eis satisfieri scirent. Verum P. Rector rursus publicam declarationem, utpote Societati injuriam deprecatus fatebatur, quod suis Scholaribus Labadæi sermonibus interesse vetaverit, eoquod hic juventutem instituendi methodum

thodum carpsisset: His auditis interrogavit Episcopus, an id probare posset, & sibi satisfieri peteret: Rector autem, se satisfactione haud indigere reponens, discessit: cum ergo Episcopus ab eo nil impetrare posset, coram præfatis testibus hucusque relata a publico Tabulario ad acta referri iussit.

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

§. IX.

*Novi motus contra Labadæum &
Davillonium suscitati.*

Haud ignorabant Molinistarum Fautores, Patrem le Juge objecto duntaxat Societatis honore ab Ecclesiasticis censuris haud satis præmuniri, hinc nulli labori, nullisque artificiis pepercerunt, ut Labadæi & Davillonii fidem populo plusquam suspectam, Concionatoris vero sui causam publico Apostolici Zeli encomio dignam redderent. Hunc in finem in vulgus spargebant, quod Labadæus & Davillonius in variis Ambianensis Diæceseos Ecclesiis sequentes quatuordecim propositiones e suggestu ad populum enuntiasent:

*Proces.
Verb. sur
le desaveu
des 14. propositions.*

I. Attritio facit hominem magis peccatorem, si pœnitentia non est conjuncta cum vera contritione.

II. Omnis actio in peccato mortali facta, etiam actus fidei, est peccatum.

B 2

III.

Sæc. XVII. III. Una duntaxat datur Pœnitentia,
A. C. 1644. sicut unum Baptisma, ipsa etiam con-
 fessio est nulla, si homo in eadem re-
 labitur peccata.

IV. Deus homines duplici modo vo-
 cat, quosdam per justitiam ad æterna
 supplicia, alios per misericordiam ad
 gloriam.

V. Certum Prædestinationis signum
 est, sese a Communione retinere.

VI. Ad solum Deum preces funden-
 dæ sunt, rosarium recitare, nugæ sunt.

VII. Indulgentiæ nihil valent.

VIII. Imagines non sunt respiciendæ.

IX. Non aliam habemus libertatem,
 quam beati & damnati habent.

X. Sæpius, quam quatuor vicibus a
 peccato ad gratiam redire non valemus.

XI. Peccat mortaliter, qui aliquod
 officium vel beneficium acceptat, nisi
 clare & sensibiliter, id Deum velle
 cognoscat.

XII. Virginibus ante quadagesimum
 secundum ætatis annum in Religione
 votis se obstringere, non permittatur.

XIII. Cuilibet Bibliorum Lectio est
 præcepta.

XIV. Centum abhinc annis Concio-
 natores veritatem dissimularunt, &
 Ambianensis Episcopus Jesuitas inter-
 dicto castigare molitur, eoquod hisce
 doctrinis adhærere recusant.

Post-

Postquam Molinistarum fautores hæc. XVII.
 hæc propositiones latius per vulgus A.C. 1644.
 sparsas noverant, sollicitè per urbem
 disseminabant, nova hac doctrina Am-
 bianensem urbem seditionibus, plurimis-
 que cædibus funestatam esse, publice
 hæreses ibidem prædicari, etiam in
 plateis publicas pœnitentias edoceri,
 quemdam percepto sermone de pœni-
 tentia, ex desperationis impetu col-
 lum laqueo iniecisse, & innumera ro-
 saria in præterfluentem ab incolis fuisse
 projecta: Hæc, pluraque alia sedulo
 divulgabantur, ut Patris le Juge causa
 ab Episcopali foro ad Regium tribunal
 per publicos rumores deduceretur. Rem-
 edoctus Antistes eo, quo pro fidei Ca-
 tholicæ incremento flagrabat, studio
 mox Labadæum & Davillonium accer-
 siri iussit, eisque acriter exprobravit,
 quod propositiones Ecclesiæ Catholicæ,
 fidei & pietati tantopere contrarias pro-
 ferre ausi fuissent: his vero ejusmodi
 doctrinas falso & calumniose sibi impu-
 tari asserentibus, utrique injunxit, ut
 ad tollendam populi offensionem Da-
 villonius die vigesima secunda Martii
 circa horam diei octavam in Ecclesia
 Cathedrali, ubi per quadragesimam
 Conciones antea habuit, Labadæus
 vero hora quarta in Ecclesia Parochiali,
 præsentè Episcopo, Clero, Magistratu,

Sæc. XVII. omniq[ue] populo præfatas propositiones
A.C. 1644. tam generaliter quam singulariter tan-
 quam falsas, hæreticas, erroneas, &
 scandalosas condemnent, rejiciant, &
 anathematizent, easque sibi falso & per
 calumniam imputari declarent: Id amo-
 bo lubenti animo præstituta die fece-
 runt, professi, quod hæc propositiones
 non retractandi animo, cum illas
 nunquam enuntiasent, publice damna-
 rent, sed ut omnibus notum fieret,
 eas falso sibi imputatas fuisse. Hu-
 jus veritatis testes, ipsum Episcopum,
 qui cunctis Dabillonii Concionibus in-
 tererat, omnemque populum advoca-
 runt, simulque omnium hucusque ha-
 bitorum sermonum synopsin his doctri-
 nis oppido contrariam, quantum me-
 moriæ fides permiserat, protulerunt,
 suamque declarationem opposito chiro-
 grapho vulgarunt, quo comperto ille,
 qui suspensio sibi vitam eripuisse spar-
 gebatur, fassus est, se domesticis miseriis
 ad tam perversum consilium fuisse qui-
 dem incitatum, Labadæi tamen moni-
 tis resipuisse. Nondum tamen propte-
 rea adversantium impetus deferbuit;
 quippe quempiam alterius Ordinis Re-
 ligiosum P. Ambrosium Ambianensem
 instigarunt, ut tres epistolas in vulgus
 spargeret, in quibus fingebatur, quod
 Carolina de Monchy ad Sanctam Au-
 streber-

strebertam Abbatissa unacum suis San- Sæc. XVII.
ctimonialibus de periculosis doctrinis a A.C. 1644.
Dabillonio e suggestu propositis vehe-
menter quereretur. Hæc vero cognita
fraude die vigesima secunda Februarii
ad Barbotoum Generalem Episcopi Vi-
carium, necnon ad ipsum Dabillonium
litteras a Sororibus Magdalena Prioris-
sa, Francisca Sub-Priorissa, Thoma-
sia & Magdalena Discretis subscriptas
dedit, in quibus hæc litteras a nulla
ex suis Religiosis - fuisse scriptas, nec
unquam a præfato Doctore Dabillonio
propositiones perversas, & fidei Catho-
licæ minus consonas fuisse enuntiatas
testabatur, hocque testimonium coram
Francisco de Lengeina & Adriano Boc-
quillonio Regiis Notariis confectum om-
nes reliquæ Sorores numero viginti chi-
rographo suo firmarunt.

Sub idem ferme tempus Petrus Lo-
wencurtius Ecclesiæ Cathedralis De-
canus cum quibusdam Canonicis sibi
addictis, & Episcopo ob amissam litem
inensis, habito inter se privato conventu
Labadæum & Dabillonium die decima
nona Martii tanquam de falsa doctrina
suspectos declaravit: Horum autem
præcipiti & minus legitimo iudicio se-
se vehementer opposuere ceteri no-
vem Canonici. Frustra igitur omnibus
domesticis hisce machinationibus, Mo-

B 4 linistæ

Sæc. XVII. linistæ validius causæ suæ patrocinium
A. C. 1644. Parisiis in Regis Aula quærere decre-
 verunt; nec sua eos spes fefellit; pro
 ea enim, quo apud Mazarinum Cardi-
 nalem, Condæum Principem, Segue-
 rium Cancellarium, aliosque Proceres
 gratia & auctoritate valebant, facile
 impetrarunt, ut supremus Picardiæ
 Judex Chauneus Ambianum a Regina
 decerneretur, in Labadæi doctrinam,
 vitam & mores rigide inquisiturus: cum
 vero ex testibus nonnulli Labadæum &
 Dabillonium pro aris & focis defende-
 rent, alii ex utriusque doctrinis immi-
 nens fidei periculum exaggerarent,
 Chauneus re penitus infecta Parisios
 reversus est, non alio inquisitionis e-
 molumento, nisi quod turbarum pro-
 gressibus remora ad tempus objecta
 fuerit.

§. X.

Joannis Labadæi apostasia.

*Mayer.
 mataol.
 Labad.
 Lettre d'un
 Docteur sur
 l'Apostas.
 de Labad.
 Lettre du
 P. Sabré à
 Labad.
 Nouvel re-
 cueil. l. c.*

Haud adeo culpandus fuisset Molini-
 starum Zelus, si intra debitæ mo-
 derationis limites ad sobrietatem sapien-
 tes & non privatæ opinionis studium,
 nec publici applausus æmulationem,
 nullumque aliud præter erroris odium
 præsetulissent: inde autem ex opposito
 accidit, ut motæ adversus Labadæum
 que-

querelæ & accusationes tunc suorum Sæc. XVII.
 fautorum patrocínio haud prævalerent, A. C. 1644.
 postquam vero hic Jansenii & Abbatis
 San-Cyrani dogmata variis in locis *Bibl. Car-*
 præcipue apud Ursulinas Virgines Va- *mel. t. I.*
 satenses & Bourgis, palam prædicaret, *p. 187.*
 anno hujus sæculi quadragesimo quinto
 Reginæ jussu ex universa Picardia exu-
 lare jubebatur. Igitur in Aquitaniam
 delatus, ipsum a vera fide defecisse ru-
 more sæpius sparso, divulgatis duabus
 literis admodum prolixis se a tam sa-
 crilegæ perfidiæ culpa longe alienissi-
 mum testabatur: demum eodem hoc
 anno cum Episcopus Vasatensis ob va-
 ria crimina & vaticinia in eum senten-
 tiam pronuntiasset, Labadæus ad Gra-
 villanam Vasatensis Diæcesis Eremum,
 quam tum Carmelitæ incolebant, se
 contulit, ubi in variis colloquiis nil nisi
 profundas veritates de fidei mysteriis,
 ac sublimes de Christiana Religione, ac
 Religioso statu ideas mira eloquentia,
 suavique verborum profluvio effuderat,
 ac præcipue P. Antonium Sabre Agi-
 nensium Eremitarum Superiorem, nec-
 non P. Sylvestrum occulto suo veneno
 infecerat: Morabatur ibidem Labadæus
 aliquamdiu, non tam Religiosæ solitudi-
 nis amore, quam delitescendi, ac pro-
 meritas poenas effugiendi studio, quo
 etiam sine habitum ejusdem Ordinis

Sæc. XVII. die octava Decembris induit, altera
A. C. 1644. tamen die exuit; biduo post congrega-
tis Fratribus narravit, sibi in somno a
Deo revelatum, præceptumque esse,
ut hunc Ordinem profiteretur; Deum
enim decrevisse, ut in hoc statu novis-
simis hisce temporibus ingens Dei o-
pus, ac Missionem sibi ab eodem im-
positam pro reformando utroque Clero
exequeretur. Ergo prima Januarii an-
no hujus sæculi quinquagesimo rursus
habitum consueta solemnitate recipit,
ac non sine magnis expensis pro se, sibi-
que carioribus discipulis pannum To-
losa ad conficiendas religiosas vestes
asportari curat: interim vero Samueli
Martineau Tolosano Archipræsuli & Va-
satenfi Episcopo Labadæum Gravillæ
delitescere innotuerat, se igitur de-
tectum suspicatus Labadæus, cum suæ
caussæ diffideret, sexto Mense post in-
dutum habitum nondum evoluto Gra-
villa insalutatis suis hospitibus erupit,
evasit, atque ad Forcæum Franciæ
Marescallum secta Calvinistam Mense
Augusto aufugit, ubi per sex hebdo-
madas demoratus, cum quodam hu-
jus loci Prædicante proluxa & assidua
miscuit colloquia; inde nonnunquam
ad Domini Douiat amici sui ædes di-
verterat, ubi Joannes Gorlierus ejus
famulus, quem Aginenses Eremitæ
cum

cum literis eo ablegabant, illum adhuc Sæc. XVII.
 Carmelitano habitu indutum offendit: A. C. 1644.
 cum vero in se severius inquiri intelli-
 geret, toto pedum studio Montalbanum
 contendit, atque in Ecclesia nova die
 decima sexta Octobris Calvinianæ sectæ
 palam nomen dedit, biennio post
 Declamatoris officio honoratus, ubi
 tamen non modo Regis mandato, sed
 ipsis etiam Calvinianis Præconibus,
 præcipue Arbuffio urgentibus, loco &
 Ecclesiastico suo opificio amotus est,
 demum vero Aureliæ, & Genevæ, suas
 merces ubique venales exposuit, atque
 in Angliam evocatus, ac denuo a suo
 officio & ceterorum consortio exclusus
 Calvinianam reformatioem nova re-
 formatione eorumque Ecclesiam pari
 vocatione, qua Calvinus, super eandem
 petram ædificavit. Tam præclara sectæ
 suæ incrementa ex Catholicorum ex-
 crementis plerumque capiunt Novato-
 res. Priusquam vero sese Labadæus
 in tam miserandum & infaustum ani-
 mæ suæ statum præcipitaverat, Vasa-
 tensis Episcopus PP. Antonium, & Syl-
 vestrum, quos misere deceptos nove-
 rat, ad se accersiri, eosque, ut cuncta
 infelicis Magistri sui dogmata ac deli-
 ria manifestarent, iussit. Paruere am-
 bo, quos doctissimus hic Præsul tanta
 pastoralis amoris benevolentia excepe-
 rat,

Sæc. XVII. rat, tamque gravi rationum pondere
A. C. 1644. horum dogmatum falsitatem confuta-
 verat, ut ambo agnito errore luculen-
 tæ veritati victas manus darent, se ex-
 terna pietatis specie delusos falsi: insu-
 per eidem Episcopo Labadæi Scrinia
 aperuerunt, ex cuius scriptis hujus
 Viri iniquitas, hypocrisis, illusiones,
 & venenata dogmata luculentius patue-
 re, omnibusque sat manifeste apparuit,
 quod ejus consilia de *extraordinaria* sua,
 ut vocabat, Missione omnibus Eccle-
 siæ usibus & præceptis, necnon Regu-
 lari disciplinæ bonisque moribus oppi-
 do contraria essent, illiusque institutio-
 nes, quas suis discipulis tradiderat, su-
 spectæ ac periculosæ sub vitæ purioris
 velamine ad carnis libertatem, imo &
 Adamitarum & Illuminatorum hæresin
 collimarent: Nihilominus hic Præsul,
 cum P. Sylvester die decima sexta Octo-
 bris anno hujus sæculi quinquagesimo
 jamjam fatis cessisset, Patrem Anto-
 nium jussit, ut datis ad hunc Aposta-
 tam literis amore plenis eidem securi-
 tatem, veniam, omnemque protectio-
 nem polliceretur, dummodo deinceps
 sese Ecclesiæ submittere, errores suos
 detestari, & juxta Ordinis & mona-
 sterii sui præcepta vivere velit. Ejus-
 modi literas die vigesima sexta Novem-
 bris Pater Antonius ad Labadæum per
 Joan-

Joannem Gorlierum ejus famulum, Sæc. XVII.
 Montalbanum transmisit, in quibus il- A.C. 1644.
 lum vehementer hortabatur, ut utrius-
 que sui Discipuli exemplum sequeretur,
 nec sese in lupi fauces, Ecclesiæ hostes,
 & æternæ ruinæ abyssum ipsemet præ-
 cipitem ageret, eo duntaxat fine, ut
 Paternam correctionem non tam ob e-
 jus doctrinam, quam mores impenden-
 tem effugeret, cum vero Labadæus in
 Calviniana Ecclesia palam professus
 esset, se per quindecim, aut omnino
 viginti annos, quibus in Societate vi-
 xisset, jamjam Calvinii erroribus in a-
 nimo suo adhæsisset, Pater Antonius
 id ejus dictis & factis minime concor-
 dare demonstrabat, eoquod ipse ore
 & calamo sæpissime professus esset, quod
 de reali Christi Domini præsentia in
 Eucharistia tanta evidentia convictus
 esset, ut se de hoc mysterio non tam fi-
 dem, quam certitudinem habere, affir-
 mare auderet: insuper Ordinis vestem
 cum solitis ritibus aquæ benedictæ &c.
 summa mentis compositione receperit,
 Sacelli sui fores, dum Sacris operaba-
 tur, caute ne ab aliis turbaretur, oc-
 cluserit, parvam hostiam consecravit,
 eamque in argentea cruce inclusam Le-
 guievino Gravellam profectus, ex pie-
 tatis fervore, licet indiscreto secum por-
 tarit, palliumque, ut vocabat mysterio-
 sum,

Sæc. XVII. sum, quod sibi tanquam Missionis suæ
 A. C. 1644. extraordinariæ thesseram fieri curasset,
 se nonnisi unacum pelle, & vita exu-
 turum, crucifixi imaginem manu te-
 nens sæpius pollicitus fuerit, singulis
 quoque diebus rem Divinam peregerit,
 variisque diebus etiam ferialibus, præ-
 cipue vero decimo tertio Januarii die
 suo natali solemne Sacrum de SS. No-
 mine Jesu cantari curarit, ac in suo
 Diario exacte annotarit, quod die de-
 cima Decembris eo momento, quo S.
 Hostiam consecraverat, ex eadem Ho-
 stia distincte hæc verba: *Hoc est enim*
Corpus meum reperiens inaudierit, dum-
 que a defuncto Vasateni Episcopo Pres-
 byteratus ordine initiatus fuisset, SS.
 Trinitatem æquali claritate, qua semet-
 ipsum vidisset, intuitus, ab eadem in-
 terius Sacerdos factus, omnem pasto-
 ralem & Apostolicam potestatem acce-
 perit, & semetipsum SS. Trinitatis Sa-
 cerdotem appellarit, deque Sacerdotii
 sui veritate se convictum esse asseruerit.
 Plura alia ab ipsomet Labadæo dicta,
 scripta, & typis impressa eidem obje-
 rat P. Antonius, ex quibus inferebat,
 quod, cum hæc omnia a Calvinistis
 tanquam superstitiosa & abominanda
 haberentur, aut Labadæus se per tot
 annos Calvinii hæresin in suo sinu fo-
 visse, mentitus fuerit, aut hæc dun-
 taxat

Declarat.
imprim. a
Montauban.
pag. 84.

taxat Calvinistis complacendi studio pu-
 blicæ fidei suæ confessioni inseruerit: Sæc. XVII.
A. C. 1644.
 vel enim ea, objiciebat P. Antonius,
 quæ per quindecim istos annos inter
 Jesuitas & Catholicos sibi contigisse
 scripserat, vera, vel imaginaria, vel
 artificiose adinventæ fuere: si vera cen-
 suit, tunc manifeste de falsitate Calvi-
 nianæ sectæ, quæ Christi præsentiam
 negat, ipsum fuisse convictum sequi-
 tur, si imaginaria, oportuit, ipsius
 phantasiæ fortiter imbutam fuisse de
 veritate illius mysterii, cum ipsi tam
 vivas species exhibuisset: si autem ma-
 litiose convicta, nonne se sacrilegum
 impostorem, hypocritam, atque ex
 omnium scelerum colluvie natum ho-
 minem proderet &c. Verum ad hæc
 P. Antonii literas Labadæus confusio-
 ne obrutus, nullum dedit responsum.

§. XI.

*Diversorum judicia de causa Laba-
dianæ Apostasiæ.*

Postquam certa fama de Labadæi a-
 postasia Galliam pervaserat, mox *Lettre d'un*
 Molinistæ ultra modum ovantes, hu- *Dott. sur le*
 jus Viri ruinam Jansenismo tribuebant, *sujet de*
l'Apost. de
Labad.
 cunctosque, qui se sancti Augustini Di-
 scipulos dicebant, Calvinianos appella-
 bant trosculos, qui sub externa corporis
 com-

Sæc. XVII. *compositione, & Sacrorum verborum specie*
A. C. 1644. *Calvini venenum in suo corde contegunt,*
illudque in Auditorum, amicorumque au-
res interim instillant, donec favente tempo-
ris opportunitate palam sese Calvinistas esse
profiteri possent, cum Jansenistarum &
Sancyranorum spiritus plene Spiritui &
Calvinistarum doctrinæ consonet. Eo fine
 typis vulgarunt librum, quem hoc ti-
 tulo honorarunt: *Triumphus Catholicae*
veritatis adversus Novatores, sive Janse-
nii damnatus, & paulopost ex eorum
officina alius prodiit liber, cui titulus:
Trita Jansenismi via ad Calvinismum du-
ctore Joanne Labadaeo. Cum autem illi,
 qui Jansenistæ a Molinistis dicebantur,
 a Calvini erroribus summopere abhor-
 rerent, & Ecclesia Jansenium nunquam
 damnasset, nec tum de erroneis proposi-
 tionibus iudicio Ecclesiæ adhuc consti-
 tisset, hinc illi Labadianæ apostasiæ caus-
 sam ex Jansenii doctrina falso repeti,
 seque tam injuriose ab ejusmodi homi-
 nibus traduci, ægerrime ferebant, haud
 ignari, quod ejusmodi calumniam non
 alio fine Jansenistis impingerent, nisi
 ut ipsi suæ opinionis trophæum super
 Augustinianæ doctrinæ ruinas erigere,
 solique de Ecclesia bene meriti a vulgo
 videri possent: Hæc ipsa autem intem-
 peries duntaxat ad exacerbandos ani-
 mos, & fabricandam novam sectam per-
 mu-

mutuam æmulationem, fervensque Sæc. XVII.
contradicendi studium tritam pande- A.C. 1644.
bat semitam. Eapropter non feriaban-

tur Jansenistarum calami, atque inter
eos præcipue Hermanus Bellovacensis
Canonicus prolixam edidit epistolam,
in qua solide demonstratum ibat, ex
funesto Labadæi lapsu Jesuitis nullum
cum Judæis, Hæreticis, & Paganis
triumphandi, sed potius ad Ecclesiæ
Catholicæ imitationem tristandi argu-
mentum præberi: solos Rupellenses
Calvinistas, non autem Jansenistas tri-
pudiassent, dum P. Petrus Jarrigius Je-
suita, paulo ante die vigesima quinta
Decembris anno hujus sæculi quadra-
gesimo septimo coram Calviniano Se-
natu, & anno sequenti die vigesima
quinta Martii in Templo fidem Catho-
licam abjurasset; nec tamen propterea
Jansenistas librum sub hoc titulo: *trita*
via Jesuitismi seu Molinismi ad infernum,
typis vulgasse: nec pæana cecinisse,
dum alius quidam Jesuita eodem hoc
anno Carnoti prope Aureliam in vigilia
Nativitatis Dominicæ duobus vulneri-
bus pectori suo inflictis semetipsum in-
teremit, quin eis exprobrassent Janse-
nistæ falsitatem vaticinii Societati suæ
facti, quod *quicumque in eo Ordine de-* Imago I.
cesserit, vita fruatur sempiterna, & om- Sæc. S. J.
nes omnino ac singuli ad mortem usque, si l. 5. c. 8.
Hist. Eccles. Tom. LXI. C in

Sæc. XVII. *in Societate constiterint, servandi sint.* His
A. C. 1644. præmissis hic idem Canonicus demon-
 strabat, quod prima Labadianæ ruinæ
 origo fuerint falsæ revelationes, visio-
 nes, somnia &c. quibus vel delusus,
 vel alios deludere adhuc in Societate
 moliebatur, priusquam de Jansenii Au-
 gustino vel somnium esset, altera vero
 causa, quam tamen Jesuitæ in præ-
 fato libello suppresserant, Ecclesiasticæ
 poenæ timor exstiterit. Postea præfatus
 Canonicus multis argumentis ostendit,
 quod Molinistæ perperam Labadianæ
 apostasiæ causam ex iis repetant, quæ
 hic perfidus ad aucupandam suorum
 Mæcenatum gratiam & patrocinium
 allegaverat, cum omnes illi, qui ex
 Ecclesiæ castris transfugiunt, ejusmodi
 obtentibus suam perfidiam honestare
 fatagant, hic idem Author atrocem il-
 lam calumniam, qua Molinistæ Janse-
 nistas Calvino obviam in scripserant,
 exagitans, ex ipsius Jansenii odio in
 Calvinistas, necnon ex ipso Labadæi
 testimonio de Jansenistarum obsequio
 erga Ecclesiam demonstrabat, quod
 Jansenistæ, nisi æque fideliter Eccle-
 siæ, quam doctrinæ gratiæ inhærerent,
 se genuinos sancti Augustini discipulos
 nominare non auderent, de cetero au-
 tem ipsi nec ulla, etiam cruenta ad-
 versariorum vexatione terreri, minus
 vero

vero ab Ecclesiæ sinu avelli possent. Hæc Sæc. XVII.
Historica fide retuli, nec mea facio. A. C. 1644.

§. XII.

Censura Facultatis Parisinæ in libellum de Christiana Familia.

Hoc item anno die prima Octobris *Argentre*
Antonius de Breda Facultatis *Coll. Jud.*
Theologicæ Syndicus coram Sorbonæ *Fac. Par.*
Doctoribus exposuit, se præ manibus *t. 3. p. 53.*
habere libellum, cui titulus: *Familia*
Christiana sub Magisterio sancti Josephi,
in eo autem multa animadversione di-
gna deprehendisse, ac propterea eun-
dem ipsi Facultati examinandum tra-
dere. Re percepta mox Facultas hanc
in rem quosdam selegit Magistros, qui
quinto post die retulerunt. „Authorem
„hujus libelli peculiaris cujusdam spi-
„ritus ductu, respexisse ad vanitates &
„infantias falsas, & miracula ac reve-
„lationes sibi finxisse, ut Familiam &
„Institutum suum extolleret, & cæte-
„ris omnibus præferret: Multa contra
„Ecclesiæ usum & praxim, ejusque san-
„ctitatem, integritatem, & authorita-
„tem, contra genuinum S. Scripturæ
„sensum, Sacros Canones, Apostolicas
„Constitutiones, vota atque Instituta
„Regularium, atque etiam in Dei sum-
„mi, Christi Domini, Augustissimæ Ma-
C 2 „tris

Sæc. XVII. „tris ejus, Beatissimi Joseph, & alio-
A. C. 1644. „rum Sanctorum honorem & majesta-
 „tem congefisse. Ut vero Matrimonii
 „statum impensius commendaret, &
 „pluribus suaderet, cælibatum nimium
 „depressisse, ac in eum finem quamplu-
 „rima hæretico plane sensu, Sacris
 „Scriptoribus & præcipue S. Paulo con-
 „traria, nonnulla etiam schismatica,
 „erronea, & temeraria, innumera ob-
 „scœna & impura, ac piarum aurium
 „offensiva protulisse. „

Cognito horum judicio Facultas
 „judicavit, prædictum libellum dam-
 „nandum, prout de facto damnavit,
 „tanquam continentem propositiones
 „Hæreticas, Impias, Blasphemias, S.
 „Scripturæ, Ecclesiæ usui & praxi, Sa-
 „cris Canonibus, Apostolicis Constitu-
 „tionibus, disciplinæ Ecclesiasticæ &
 „regolari contrarias, schismaticas, er-
 „roneas, temerarias, obscœnas, pia-
 „rum aurium offensivas, calumniosas,
 „seditiosas, insulas & falsas. Censuit
 „insuper hanc generalem Censuram esse
 „evulgandam, sic tamen, ut nonnullæ
 „propositiones peculiaribus notis affi-
 „ciantur, ea adhibita cautione, ut quæ
 „aliquid obscœnitatis redolent, ad vi-
 „tandum scandalum, non exscribantur. „

Die autem secunda Septembris Bur-
 degalensis Senatus libellum, cui titu-
 lus;

lus; *Theologia Moralis Jesuitarum contra universalem Christianam Moralem*, super-
primi, & in foro lacerari iussit, eo-
quod calumniis, mendaciis & convi-
tiis refertus esset.

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

§. XIII.

Monasteriensis Pacificationis initia.

Ineunte hoc anno propior conciliandæ
pacis spes affulgere videbatur; com-
planatis enim omnibus, quæ ob secu-
ritatis literas, titulosque movebantur,
difficultatibus jamjam pro Principum
Legatis Monasterii hospitia parabantur:
die etiam decima sexta Martii Clau-
dius Mesmius Comes de Avaux, seu
Avallius Franciæ Regis Legatus diu
expectatus, tandem Monasterii West-
phalorum advenit: occurrerant eidem
solemni pompa Joannes Ludovicus Nas-
saviæ Comes Cæsaris Legatus, Didacus
de Saavedra & Zapata Comes Hispaniæ
Regis Oratores, necnon Reipublicæ
Venetæ Legati. Altera die Fabius
Chisius Sedis Apostolicæ Nuntius ur-
bem ingrediebatur, cui adventanti Cæ-
sar, Regumque Oratores cum magni-
fico curruum apparatu obviam ire para-
bant: cum autem Franciæ Orator cum
Hispaniæ Legatis de prærogativa præ-
cedendi contenderet, ne in primo pa-

*Bougeant
Hist. bell.
tric. part. 1.
lib. 8.
Adami rel.
Pac. West-
phal.
Gundling.
Discal. sup.
pac. W. c. 6.
§. 116.
& seq.*

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

cis limine pugnam ordiri diceretur, cur-
rus suos præmittere recusavit, ac sub
specioso Nuntium splendidius honorandi
obtentu Sant-Romano Comiti Gallo
negotium dedit, ut ipse cum viginti
Nobilibus equo vectus, Nuntium comi-
taretur: Hoc consilio per Aloysium Con-
tarenum Venetorum Oratorem Hispani-
æ Legatis manifestato, mox unanimi
ceterorum consensu conclusum, Nuntio
a nemine obviam eundum, sed adven-
tus sui ignorantiam esse obtenden-
dam: ipse vero Nuntius biduo post Cæ-
sar's Legatum primo, ac postea Fran-
ciæ Oratorem salutatum ibat, haud
parum indignantibus Hispanis, qui
Avallium adeuntes de bello, perinde
acsi nunquam devicti fuissent, & de
pace, tanquam medio Gallis potius quam
Hispanis necessario differentes, huic
Legato haud dissimulanter exponebant,
quod ex unico Christianæ Reipublicæ
studio pacem exoptarent, eoque pro-
ninus cum Gallorum consiliis conspirare
intenderent, eoquod illi, quos aggressi
essent (*), jamjam morte sublati forent,
nec arma contra Regem inchoato bello
nondum natum diutius gerere intende-
rent

(*) Ludovicum XIII. Franciæ Regem, e-
jusque Ministrum Cardinalem Richelium
innuebant,

rent. Paulopost Comes Lambergius a Sæc. XVII.
 Cæsare decretus Monasterium venit, A. C. 1644.
 qui tamen, ne Franciæ & Hispaniæ
 Legatis de digniore loco rursus conten-
 dendi ansam præberet, ceteros Lega-
 tos de suo adventu ex industria certiores
 non reddidit, ac propterea ab eis so-
 lemni pompa non est exceptus: Ex-
 pectabantur adhuc Brandenburgici &
 Batavi Oratores; Colonienſis quoque
 Electoris Legatus Franciscus Guiliel-
 mus de Wartenberg Widenbrugi hære-
 bat, ac demum Catholicorum Electro-
 rum Legati exeunte primo anno ad-
 venere, & Bavarici Baro Haslangus,
 & Doctor Crebsius nonnisi adulto Men-
 se Decembri Monachio discesserunt.

Interim vero Sedis Apostolicæ Nun-
 tius indicta quadraginta horarum com-
 precatione prosperum comitiorum suc-
 cessum Deo pacis Authori enixe com-
 mendabat, ac tertio post die solemnem
 supplicationem cum innumero populi
 accursu habebat: Hæc ipsa solemnia
 vix non nova contentione fuissent inter-
 turbata, nisi Nuntii Pontificii modera-
 tio primas extinxisset scintillas; cum
 enim hic in Ecclesia scamnum tapete
 tectum, ut peracta supplicatione Sacro
 interesset, sibi adornari curaret, mox
 Franciæ Oratores eidem significarunt,
 ut inter ceteros Oratores Catholicos

Sæc. XVII. primum quidem locum, æquali tamen
A. C. 1644. gradu & cultu occuparet, nisi *Pontifi-*
cio habitu ornatus Sacro interesset: His
pacis studio cessit Nuntius; nec tamen
propterea cessare Galliæ Legati; cum
enim in Ecclesia pro Cæsaris Oratori-
bus sedes uno gradu altiores fuissent
erectæ, ipsi primam Sedem Nuntio, a-
liam pro Cæsaris, & tertiam pro Fran-
ciæ Legatis æquali ferie collocarunt:
in ipsa etiam Sacra supplicatione circa or-
dinem Galli litem movebant; cum enim
Cæsaris Legati, & quidem Nassovix
Comes a dexteris, & Volmarus Doctor
a sinistris primi incederent, obtende-
bant Galli, ut ex Franciæ Oratoribus
præcipuus Nassovium, alter vero Vol-
marum comitarentur: tandem vero
Nuntii opera decretum est, ut Avallius
Nassovio, & Abel Servientus alter Fran-
ciæ Legatus, qui a Mazarino pacis im-
pediendæ studio missus credebatur, Vol-
maro a sinistris adesset. Porro hi ho-
norum apices litesque nonnisi ad augen-
dum temporis, rerumque dispendium
conferebant, dum interea populi sub
calamitoso belli pondere, & immani
vexationum mole tabescerent.

§. XIV.

Sæc. XVII.

A. C. 1644.

Osnabrugensis Conventus initia.

Nec minus tardo gressu, utpote ex belli successibus suspenso Protestantes Legati Osnabrugam accessere: prævie tamen, Monasterii excluso Dano Rege, unanimi suffragio in pacis arbitros eligebatur summus Pontifex, qui Fabio Chisio vices suas cessit, dato desuper die quinta Octobris diplomate Apostolico, quod paulopost ab Innocentio X. Urbani successore confirmatum adducemus. Osnabrugæ vero Regis Daniæ nomine Justus Lipsius, & pro Suecis Salvius Arbitrorum vices subibant: Cæsaris quoque Legati Auerispergius Comes & Cranius sibi in mandatis datum declarabant, quod inde non recederent, nisi post confectam pacem. Alter erat Aloysius Contarenus Venetæ Reipublicæ Orator: Ad hos autem denovo novæ deferebantur querelæ contra demandatæ Facultatis literas; quippe Galli in Suecorum literis Cæsarem titulo *Majestatis*, in Venetorum vero diplomate titulo *Serenissimi* decorari querebantur, cumque in Hispanorum literis Papæ tanquam Mediatoris nomen haud expressum legerent, mox & ipsi hoc nomen ex suis deleverunt literis,

C 5

post-

Sæc. XVII. postquam vero Arbitri normam, juxta
A.C. 1644. quam singuli Oratores plenam agendi
 facultatem literis expressam instruerent,
 conceperant, atque ab his verbis; *Ab-*
solutis mandati literis tam ex parte Cæsa-
ris, quam Regis Catholici & Christianis-
simi Regis Nos &c. inciperent, mox
 Galli Hispanum Galliarum Regi præ-
 poni querebantur: Subrogarunt arbitri
 hæc verba: *Ex parte Cæsaris & utrius-*
que Coronæ, at utrumque Regem æqui-
 parari, rursus indignabantur Galli:
 substituenda esse hæc verba; *utriusque*
partis, censuit ipse Avallius Franciæ
 Legatus, sed obstitit Servientius alter
 Galliarum Orator, prævaluit tamen
 Avallius: sublatis igitur hisce difficul-
 tatibus omnes Oratores suas quisque
 demandatæ potestatis literas Arbitris
 tradidere: Hi vero primæ comitiorum
 Sessioni diem quartam Decembris
 præfixerunt.

§. XV.

Media ad pacem obtinendam ab Ora-
toribus proposita.

Adlzreit.
Annal. Boic.
tom. 3. p. 3.
lib. 29.
Theatr. Eu-
rop. p. 5.
pag. 235.

Præstituta die singuli Oratores, prout
 antea conventum erat, rationes
 quas quisque magis ad conciliandam
 pacem opportunas censuissent, Arbi-
 tris scriptotenus tradidere: Præprimis
 igi-

igitur Cæsarei & Hispani, qui tum ad-
 huc velut unam partem ob causæ æ-
 qualitatem constituebant, postularunt,
 ut pax Ratisbonæ anno hujus sæculi
 trigesimo inter Ferdinandum II. Cæsa-
 rem & Ludovicum, necnon pax Ver-
 viensis & Ratisbonensis cum Hispanis
 & Gallis, item pax Pragensis observa-
 retur, & cuncta exinde a Gallo-Sue-
 cis Imperio inique erepta restitueren-
 tur, reservatis juribus & actionibus in
 omnia hæc ablata. Hæc Cæsareorum
 petitio omni æquitati innitebatur: non
 idem autem erat circa postulata Gallo-
 Suecorum; cum enim perperam ab-
 lata retinere, firmum fixumque habe-
 rent, omnes politicæ artis fontes ex-
 haurire cogeantur, ut sua postulata
 justitiæ ac moderationis fucō delini-
 rent: Percepta igitur Cæsareorum pro-
 positione nonnisi vagis oppido verbis,
 variisque quæsitis ambagibus respon-
 derunt, demum vero crebris inter se
 habitis colloquiis declararunt: „se nun-
 „quam ad pacis tractationem descensu-
 „ros, nisi prius omnium Imperii Prin-
 „cipum, Ordinum Urbiumque Legati
 „adessent, & Trevirensis Elector liber-
 „tati esset redditus; cum enim ea ex caus-
 „sa tam diuturnum bellum gestum fuisset,
 „æquum pariter foret, ut absque
 „illis nihil de pace ageretur: nec Cæ-
 „sarem

Sæc. XVII.

A. C. 1644.

Sæc. XVII. „farem puduisset, sæpius cum quodam
A. C. 1644. „unico Principe vel Imperii Statu si-
 „gillatim pacisci, uti Goslarie cum
 „Luneburgico, & Pragæ cum Saxone
 „pactum erexisset. „ Hæc Gallorum
 oppositio displicuit non modo Osnabru-
 genfi Episcopo, qui Electorale Colle-
 gium repræsentabat, sed imprimis Cæ-
 sareis Hispanisque Legatis, quocirca
 apud Arbitros gravissime questi expo-
 nebant, quod pax, prætenfa hac om-
 nium Ordinum convocatione ob senten-
 tiarum diversitatem, & longiorem mo-
 ram aut differatur, aut omnino præ-
 pediatur; cum tamen horum absentia
 congruis pacis mediis saltem propo-
 nendis non obstat, & in his comitiis
 proposita & conventa sine obstaculo in
 proximis Imperii comitiis postea a cun-
 ctis solemniter consensu rata haberi pos-
 sent: novo autem hoc petito Gallo-
 Sueci nil nisi morasnectere, novasque
 contentiones concitare quærerent; cum
 aliunde cunctis Imperii Ordinibus hæc
 comitia accedendi libertas ultro jam
 concessa fuisset, illos vero, qui venire
 nolunt, trahere, aut cunctantes expe-
 ctare, inconsultum esset. Cedendum
 tamen erat Gallis, Suecisque, tandem
 vero Arbitrorum opera & studio Galli
 pollicebantur, ut intra octiduum me-
 dia ad pacem opportuna proponere vel-
 lent:

lent: exeunte autem hoc anno rursus Sæc. XVII.
 datis literis omnes Imperii Ordines ad A. C. 1644.
 hæc comitia invitarunt, horum adven-
 tum anxie præstolantes, ut accedenti-
 bus Protestantium Deputatis hi facilius
 suorum & præprimis Hassorum libertati
 Religionis, & Sacri spoliis possessioni fa-
 vere, vicissim vero Gallis Imperio ere-
 pta tuto asserere valerent, simulque Cæ-
 saream imminuerent auctoritatem ut-
 pote cui velut complendæ necessario
 foret omnium Ordinum præsentia, at-
 que assensus. Ceterum hoc anno de-
 liberationibus imponebatur finis, do-
 nec Oratores de rebus ultro citroque
 propositis a suis Principibus responsa
 acciperent.

§. XVI.

Fædus Gallorum cum Batavis.

Accefferant Galli Oratores ad hæc *Bougeant*
 comitia magis de continuando bel- *Hist. Bell.*
 lo solliciti, quam promovendæ pacis *tric. tom. I.*
 cupidi: eapropter tardius non sine *lib. 8.*
 exterorum Oratorum indignatione Mo-
 nasterium venerant, ut prius Hagæ cum
 Batavis armorum societatem firmarent:
 Ast in Hollandiæ finibus sat remis-
 se excipiebantur, cum Batavi potius
 nocivum hoc bellum tandem finire,
 quam continuari desiderarent. Magis
 sibi

Sæc. XVII. sibi propensum Galli experiebantur Fri-
A.C. 1644. dericum Henricum Arausionensem
Principem, qui suam auctoritatem bello partam nonnisi armorum potentia conservari posse, noverat, ne tamen Batavos offenderet, media via incedens, inducias proposuit. Nec id displicuit Mazarino Cardinali; sperabat enim, quod Galli induciarum ope in securo bello partorum possessione conservari possent, atque Hispani ea, quæ amississent, potius Gallis relicturi, quam expirantibus induciis novo bello sese implicaturi essent. Tandem vero mutuo pacto die prima Martii conclusum, quod neutra pars sine alterius consensu nec transactionem, nec pacem aut inducias inire, aut ditiones hosti ereptas reddere velit, sique post pacem Monasterii firmatam Cæsar, Hispaniæ Rex vel alius quicumque Princeps bellum innovaret, ad mutuam bello partorum defensionem Galli Batavis, & vicissim arma juncturi essent: Galli autem ad alendum exercitum annue Batavis duodecies centena librarum millia penderent. Firmato utrinque hoc fœdere Avallius Comes Fœderatos Belgii Ordines his verbis alloquebatur: „Vestræ
„bonitati, necnon reverentiæ erga Regem nostrum & Reginam confisi speramus, vos, quæ ad Catholicorum
„leva-

„levamen proponere iussimus, æquis Sæc. XVII.
 „auribus excepturos: Rex enim pro A. C. 1644.
 „antiqua Majorum suorum Religione
 „ac pietate a vobis efflagitat, ut edi-
 „ctorum vestrorum severitatem adver-
 „sus incolas, Religionis societate Regi
 „iunctos moderari velitis, eisque per-
 „mittatis, aut saltem impedire nolitis,
 „ne in ædibus suis pro Religionis exer-
 „citio convenire valeant. Forte id illis
 „denegatis, quia Regiminis vestri ho-
 „stes sunt? concesserim id ad tempus:
 „ast in causam hujus odii pariter in-
 „dagate: nonne ipsi Catholici bonis,
 „armis & sanguine suo vobis publicam
 „pepererunt libertatem, qua tamen illos
 „nunc privatis? nonne ad excutien-
 „dum Inquisitionis jugum suam quoque
 „contulerunt operam, & vos nunc
 „longe durius Inquisitionis tribunal con-
 „tra eos erigitis? Verbo: vestræ op-
 „pressiones, vestra edicta, subtracta
 „Sacerdotibus alimenta, contemptus
 „omnium, quæ in Religione nostra sunt
 „Sacrosancta, hæc Catholicorum ani-
 „mos a vobis alienos reddidere: Vultis
 „igitur eos ad obsequium reducere, ex
 „male affectis fidos cives efficere, & ab
 „edictorum severitate quicquam remit-
 „tite, & sic illos vobis æterna gratitu-
 „dine ac fide obstrictos reddetis. Haud
 „vos latet, quod severæ inquisitiones
 „vestræ

Sæc. XVII., vestrae nec illorum numerum, nec
A. C. 1644. „conventus imminuerint: Fateri quo-
„que coacti estis, quod nihil unquam
„contra patriam moliti sint: cur illos
„hostium loco habetis, num esse bo-
„num Catholicum, & bonum Hollan-
„dum inter se repugnant? an non Hi-
„spanorum hostes esse possunt, quin
„sint Protestantes? interrogate Lusita-
„nos, & Catalonos: nonne etiam Ca-
„tholici in vestris Provinciis agentes,
„Hispanos pro patriæ suæ hostibus de-
„clararunt? nonne ipsi ceteris primi
„foedus, unde vestra Respublica ortum
„traxit, suo chirographo munierunt?
„Horum nomine polliceor, quod Ca-
„tholici omnes, quos a vestrae Reipu-
„blicæ corpore abscissos creditis, per
„vestram moderationem eidem corpori
„firmissimo fidelitatis nexu ad confer-
„vandam libertatem conglutinati ad-
„hæsuri sint: Ita nobiscum Rex, Re-
„gina, eorumque Majores senserunt,
„horum consilia, si in cæteris omnibus
„secuti estis, & in hoc sequimini. In
„grata memoria habete Henricum Ma-
„gnum, qui in vobis prior Reipublicæ
„prærogativam agnovit: memores estote
„sui consilii, cum vobis ad Status ve-
„stri conservationem suavit Religioni-
„s Catholicæ, ejusque liberi exercitii to-
„lerantiam., Enimvero ipsemet Arau-
sionen-

tionensis Princeps coram Avallio Oratore declarabat, iniquum esse, quod Catholici tantopere vexentur in eadem Regione, ubi tamen sectarum tolerantia inter præcipua regiminis politici fundamenta habetur: verum Batavi insuperhabitis Principis sui monitis audacter Oratori insinuarunt, ut de Catholicis nullam ultra mentionem faceret, ni sibi molestiam accersere vellet: Nec his contenti, post Oratoris discesum edicta adhuc longe severiora in Catholicos ferebant, ut imposterum pro sublevando jugo exterorum Principum deprecationes implorare absterrentur: Re comperta Franciæ Rex datis ad Batavos literis de eorum inhumanitate erga Catholicos vehementer querebatur, nullo alio sui patrociniû successu, nisi quod Catholici haud mitius, quam antea (*) haberentur.

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

§. XVII.

(*) Observandum est, quod violata pactorum religione Batavi Catholicis Religionis suæ exercitium post prosperum rebellionis successum ademerint, eisque Ecclesias eriperint, sub falso obtentu, quod inobedientes ac seditiosi fuissent, ac Calvinistis novum jugum imponere moliti essent; quæ tamen putida fuit calumnia: præterea jam nimis in-

Hist. Eccles. Tom. LXI.

D

dul-

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

§. XVII.

Variae urbes a Bavaris occupatae.

*Theatr. Eu-
rop. part. 5.
pag. 234.
Brachel. hist.
lib. 6.*

Quamvis Cæsar pacem Imperio red-
dere, totis viribus adlaboraret,
plurimumque Principum Oratores Tem-
plum pacis Monasterii aperire crede-
rentur, ejus tamen structura sat lente
procefferat, eoquod armati hi pacifica-
tores una manu pugnassent, ædificas-
sent

dulgender cum Catholicis gestum credide-
rant, eoquod interdicto publico Religionis
exercitio illos ad Calvinī sectam non coege-
rint, sed in privatis cædibus convenire per-
miserint: eapropter anno hujus sæculi qua-
dragesimo primo Jesuitis in Belgium venire,
sub gravissimis poenis interdixerunt, paren-
tibusque suos filios ad Catholicas Hispania-
rum Universitates vel Collegia mittendi li-
bertatem ademerunt, ne ibidem doctrinis
Reipublicæ perniciosus imbuerentur: Verum
in quorum Scholis ipsi Batavi anno Domini
millesimo quingentesimo octogesimo primo,
Hugonotæ in Galliis per integrum ferme
sæculum, Puritani in Anglia, Calvinistæ in
Bohemia & Hungaria fuerint imbuti, bella
& seditiones contra suos legitimos Princi-
pes concitatae, irrefragabili testimonio lo-
quuntur, necnon desolatæ ab ipsis Regionēs
hodie dum vindictam in cælum clamant.

sent altera, & quod hac erexissent, Sæc. XVII.
 destruxissent illa: eodem enim tem- A. C. 1644.
 pore, quo Galli pacis consilia jactita-
 bant, novas armorum societates inie-
 runt, & Sueci Daniæ Regem, eoquod
 Moscis & Cæsareis suppetias tulisset,
 inopino bello opprefferunt, ac Gallia-
 rum Reginæ Auctores fuerant, ne hoc
 anno pacem iniret, sed potius bellum
 in Germania ardentius produceret. Eo
 consilio Turrenius Comes cum recenti
 milite Gallo in Aliatiam movit trajecto-
 que Rheno sese cum Suecis jungere,
 totamque belli molem ad tractum Rhe-
 ni superioris, & demum in Bavariam
 effundere statuit: Obstitit tamen Mer-
 cius, qui Wallio ætate ac laboribus
 fracto in suprema Bavarici exercitus
 Præfectura subrogatus, non modo Gal-
 lo-Vinarienses, ne Uberlinganæ Urbi
 suppetias inferre possent, præpedivit,
 sed insuper recuperata Heilinberga mu-
 nitaque Rotwilla, Uberlingam & postea
 Friburgum Brisogianæ urbem expugna-
 vit. Biduo post Anguinus Dux cum
 recenti milite e Galliis Brisaccum ad-
 ventans, terrorem, non cladem Bavaro-
 Cæsareis intulerat; quippe Turrenio &
 Vinariensibus junctus, prope Ufnusium
 Mercii castra majore vincendi fiducia,
 quam certaminis felicitate adoritur,
 tanta tamen Bojorum vi exceptus, ut
 D 2 pugna

Sæc. XVII. pugna per totam noctem protracta circa
A. C. 1644. quartam horam posterae diei matutinam
non sine luculenta clade repelleretur. Nectamen inde fractus, Rauschenbergii
stationem pari ferocia oppugnat, &
quamvis bis cum strage repulsus esset,
acie tamen dextre inversa, Boica ca-
stra a tergo invadere tentat. Tum ve-
ro ipso periculo leoninam fortitudinem
acuate, Bavari ternos Gallorum insul-
tus tam immota virtute sustinuerunt,
ut tandem Galli ingenti clade repulsi,
fateri cogerentur, non semper audaciam,
nec numerum adversus strenui Ducis
vigilantiam valere. Cecidere in hoc
conflictu sex Gallorum millia, Bava-
rorum non ultra mille ducenti, quos
inter tamen præcipue Caspar Mercii
Frater, alique Tribuni recensentur.
Sub idem tempus Wiseneckensis arx
flagitiosa Gubernatoris perfidia Gallis
cesserat; inde vero Anguinus auda-
cior factus, novisque copiis identidem
auctus, Germersheimium, Wormatiam.
Spiram, Crucinacum, Moguntiam,
Philipopolim, aliasque Palatinatus ur-
bes non tam suorum virtute, quam
multitudine intercepit: Minus tamen
felici Marte adversus Bavaro-Cæsareos
pugnabant Hassi & Vinarienses; hi e-
nim Manheimii a Rauschenbergio op-
pressi, isti vero Hæchsta urbe expulsi
itera-

iterata clade profligati fuere: Cæsarei Sæc. XVII.
 quoque Saxonibus juncti Schweidnit- A. C. 1644.
 zium in Silesia, Zeizam arcem, &
 Wohláviam aliasque urbes expulsis
 Suecorum præfidiis recuperarunt. Pau-
 lopost etiam Bremensis Administrator
 Suecos non longe a Verda ingenti clade
 protrivit: Fausta quoque erant Cæsa-
 reorum initia in bello Danico; quam-
 vis enim Torstenfoni & Hornius plu-
 rimas urbes præfidiis pene nudatas, ac
 inopina Suecorum irruptione perculsas
 interceptissent, Cæsarei tamen, ductore
 Gallaffo, cæsis Suecis, cum ingenti
 præda Kialensem arcem expugnarunt,
 atque ex Stapelhornensi & Eiderstadi-
 na regione expulsos, expugnatis duo-
 decim Suecorum navibus strenue in-
 sectati sunt: Exorto autem Danos in-
 ter & Cæsareos dissidio, Galassus ex
 Holfatiæ finibus Magdeburgum rever-
 sus, cum exercitu suo ex variis cladibus
 imminuto ægre in Bohemiam evasit, ejus
 vestigia premente Torstenfoni, qui
 Moraviam ferro & flamma dein deva-
 status est. Ita demum hic quoque an-
 nus æquali utriusque partis strage &
 victoria, ac nonnisi communi subdito-
 rum ruina sine ullo communis causæ
 emolumento absumptus fuit. Nec ma-
 gis constans erat belli fortuna Hispa-
 nis, qui quamvis in Catalonia llerdam

Sæc. XVII. urbem recuperassent, Gravellingam ta-
 A. C. 1644. men in Flandria Gallis, & Sassium
 Gandavense Batavis cedere cogeban-
 tur: Cataloni quoque in Extramaduram
 excurrentes Marchionem de Terracu-
 fa ab obsidione Eloæ repulerunt, desi-
 deratis utrinque quamplurimis.

§. XVIII.

*Urbani VIII. Pontificis Maximi
obitus.*

*Palat. in vit.
 Urb. VIII.
 Ciacon. in
 vita Ejus-
 dem tom. 4.
 Nani Hist.
 Venet. p. 1.
 l. 12. & p. 2.
 lib. 1.*

Hoc item anno Italiæ bello, quod
 Barberini ob Ducatum Castrensem
 cum Odoardo Parmensi Duce, Venetis,
 aliisque Italiæ Principibus gesserant,
 die prima Maij finis imponebatur, pa-
 cem conciliantibus Alexandro Bichio
 Cardinale Regis Christianissimi Oratore,
 & Cardinale Joanne Donghio, qui no-
 mine Pontificis concordiae leges in Ba-
 filica Divi Marci promulgaverat: Erat
 hoc bellum Ecclesiæ, Romanæque di-
 tioni funestum, & Urbani Pontificis
 existimationi, vitæque exitiosum: præ-
 terquam enim, quod pecunia in arce
 S. Angeli a Prædecessoribus Papis adver-
 sus infideles reposita ferme omnis fuisset
 distracta, insuper summus Pontifex
 plurium Principum invidiam odiumque
 necnon malevolorum satyras in se ac-
 cersebat, sibi vero ob mœrorem inde
 con-

conceptum mortem accelerabat; ad-
 monitus enim, licet sero nimis, a Car-
 dinale Bichio, quod ex privata Nepo-
 tum suorum cupiditate arma temere
 illata, & subditi ad extremam calamita-
 tem redacti fuissent, & ex infausto belli
 huius successu non modo Pontificio Im-
 perio sed toti Italiae discrimen impen-
 deret, Urbanus hucusque a suis Nepo-
 tibus gesta subdolo silentio obvoluta
 fuisse, tam indigne ferebat, ut habito
 Purpuratorum Senatu, dum commo-
 tius in illos erumperet, animo defi-
 cere, & lingua hæerere videretur, ac
 propediem moriturus crederetur: Ac-
 cedente demum gravi senio, viribusque
 assiduo labore fractis ipsemet mortis suæ
 horam appropinquare senserat, quocirca
 sepositis omnibus exteris curis totum
 sese Divinarum rerum contemplationi-
 bus dicabat. Postera die cunctos Car-
 dinales eo fine convocatos rogabat, ut
 pro ejus anima coram Deo ferventer
 intercederent, atque in Successoris e-
 lectione sepositis dissidiis solius Ecclesiæ
 utilitatem respicerent, fideique Catho-
 licæ propagationi, orbisque ac Urbis
 tranquillitati intenderent: denique facta
 apud Sacerdotem præteritæ ætatis ac-
 cusatione morientium Sacramentis mu-
 nitus intimis e sensibus proruptas pœ-
 nitentis animi voces, testesque addebat:

D 4

die

Sæc. XVII.
 A.C. 1644.

Sæc. XVII. die trigesima octava Julii prolixo sermone tractu, cum Deo ac Cælicolis colloquia socians, jam gloriosissimam Triadem, & Christum Salvatorem, ejusque Matrem ingeminabat, sæpius per Christi merita misericordiam & malæ voluntatis veniam deprecans; tandem vero altera die post expletos in Pontificatu unum & viginti annos minus septem diebus Romæ pie in Domino obiit annos natus septuaginta sex, Menses quatuor. & viginti quatuor dies. Sepultus est in Vaticana Ecclesia in tumulo statuis & columnis ornatissimo, quem sibi vivens juxta Pauli III. sepulcrum erigi curavit.

§. XIX.

Ejusdem Pontificis gesta in Pontificatu.

*Vit. Siri
mem. Chronicon
Pia-
sec. Palati-
nus & Cia-
con. l. c.*

Haud immerito Urbanus Papa ob animi sui candorem, doctrinæ profunditatem, prudentiam, morum comitatem, raramque in rebus politicis cognitionem celebratissimis ævi sui Principibus annumerandus esset, dummodo nimia erga suos Nepotes indulgentia non minus Pontificatus sui initia, quam finem sperata felicitate, atque exoptata gloria destituisset: quapropter plura in vivum & defunctum hunc

hunc Papam Romæ Pasquinus debila-
 teraverat, quæ tamen æque ac hære-
 ticorum calumnias & mendacia nequi-
 dem inculpatissimi Pontificum mores
 effugere potuissent, aliunde vero hæc
 dicteria publicis, ac frequentissimis in
 Urbani laudem ubique affixis inscriptio-
 nibus, veluti tot meritorum monumen-
 tis sat aperte convelluntur: Ea enim
 huic Pontifici ab ipsis etiam hostibus
 debetur gloria, quod magni ingenii,
 probitatis, eloquentiæ ac eruditionis
 Vir nonnisi magna in suo Pontificatu
 gesserit. Præprimis vero Vaticanam
 Basilicam marmoreis statuis, arisque
 magnificis, necnon Divi Petri Confes-
 sionem stupendi operis Mausolæo ex
 ære Corinthio auro superinducto, &
 S. Bibianæ S. Caii, & sancti Sebastia-
 ni Tempia, necnon Baptisterium Late-
 ranense, & Bibliothecam Vaticanam
 ornavit, Regiisque plane sumptibus
 restauravit, locupletavitque. Insuper
 Romanam urbem mænibus cinxit, no-
 voque armamentario, & arcem S. An-
 geli validioribus propugnaculis muni-
 vit, & ditionis Pontificiæ fines arce Ur-
 bana a fundamentis erecta, Centumcel-
 larum Portu, Anconitana & Urbevetana
 arce firmavit. Singulare autem pa-
 cis studium præseferibat Urbanus, hinc
 Franciscum Barberinum Nepotem suum

Sæc. XVII.
 A. C. 1644.

Sæc. XVII. pro avertendo Italix bello ad Reges & A. C. 1644. Principes, ac paulopost ad Imperatorem ad pacem in Germania, atque inter Franciæ & Hispaniæ Reges componendam ablegabat, necnon Vallis Tellinæ & Montferrati dissidia feliciter componebat. Nec etiam excolendis scientiis munificam subtraxit dexteram, quippe Gymnasium Romanum ornatus ac amplius instituit, & pro juvenibus nationis Germanicæ pietate ac literis imbuendis Collegia Fuldense, Vienneuse, Pragenſe & Illyricum Laureto restituit: denique varia posteris reliquit ingenii sui monumenta, quæ inter celebrantur ejusdem Paraphrases in quosdam Psalmos & Cantica, variæ Constitutiones & decreta præter epigrammata in Viros illustres, & exhortationem ad virtutem; Publicavit etiam Pontificale Romanum & Martyrologium sua auctoritate recognitum; edidit quoque hymnos in Christi, Deiparæ, aliorumque Sanctorum, præcipue S. Theresiæ festos dies, abolitisque antiquis novos hymnos a se vel emendatos, vel ex integro conditos in Divinorum officiorum celebratione decantari præcepit.

§. XX.

Cardinalium comitia pro eligendo novo Pontifice.

Justis de more persolutis Cardinales numero quinquaginta sex conclave, seu Sacra Comitia die nona Augusti inchoarunt. Præprimis Jacobus Accarissus designatus Episcopus Vestanus habita ad Cardinales oratione eos ad concordem novi Pontificis electionem hortabatur, finito autem sermone accessere Regum, Principumque Legati, necnon Romani Proceres, qui Purpuratis pro more sua obsequia deferentes, usque ad quartam noctis horam in Conclavi morabantur: Altera die ex Pontificiæ Constitutionis præscripto ad primam suffragiorum scrutationem procedere parabant; id tamen nondum licere monebant Carpegna & Palotta Conclavis Custodes, eoquod loci ambitus non omni ex parte occlusus esset: advocatis igitur fabris murariis, absolute opere Cardinales inierunt scrutiny, incredibili omnium lætitia; cum enim ex Purpuratis ibidem congregatis omnino quadraginta octo ab Urbano VIII. fuissent renuntiati, & ex illis unice in Sacchetum, & Pamphilium Cardinales tam Collegii, quam Principum

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

Hist. de elect. Innoc. X. part. 64.
Conclav. de Pontef. Rom. pag. 675.
Ciacon. in vita Innoc. X. Palat. ibid.

Sæc. XVII. A. C. 1644 cipum favor & populi vota collimare viderentur, his pariter favente Francisco Barberino, una omnes se paucas intra horas ex comitiis exituros sperabant. Adversabatur tamen Antonius Barberinus & Hispani, qui ductore Albernozio Cardinale Sacchetum a Pontificatus spe excluferunt: Tum vero Franciscus Barberinus omnem impendit operam, ut Regis Catholici exclusionem impediret; incassum tamen omnia; ipsimet enim Cardinales, qui prius Saccheto suffragabantur, ab eodem recesserunt, eo quod Pater Valentinus Mangionius Jesuita a Sacro Cardinalium Collegio in Confessarium durantibus comitiis cooptatus, pronuntiasset, quod si aliquis Rex suam sententiam contra aliquem Cardinalem declarasset, ceteri Cardinales ob incommoda, bella, schismata &c. Sedi Apostolicæ imminentia ejusmodi Cardinali non modo non suffragari, sed etiam idem ceteris suadere tenerentur. Cedere igitur cogeatur Franciscus Barberinus, qui, ne Galli vicissim Pamphilium excluderent, Antonium fratrem suum Gallis oppido faventem sibi conciliare, ceterosque, ne aliis quam Cardinalibus ab Urbano VIII. creatis suffragium ferrent, inducere nitebatur: eapropter Fratrem Vincentium Macul-

lanum

lanum ex Ordine FF. Prædicatorum Car- Sæc. XVII.
dinalem, Virum de Ecclesia bene meri- A. C. 1644.
tum, atque in Barberinos propensum
proposuit. Attamen contentio, quam Vin-
centius cum Julio Mazarino Cardinale
habuerat, necnon Montalti Cardinalis,
qui ab Hispanis ad Gallos defecerat,
oppositio eidem omnem Pontificatus
spem evoluta vix triduo ademit: idem
fatum tulere Altierius, Montius, &
Philomarinus Cardinales, qui potius
ceterorum mentem exspiscandi, quam
eos promovendi studio proponebantur.
Interim Cardinalium non pauci longio-
ris moræ, ac æstivi caloris tædio ac
molestia fatigati, ad seriam Pontificis
electionem procedi, ardentius pete-
bant, atque inter eos Albernozius Hi-
spanæ factionis princeps coram Montio
Cardinale, *estne credibile*, inquiebat,
quod Barberini præter Sacchetum habeant
neminem, quem proponerent? cui Montius
proposuit Pamphilium: excipiente au-
tem Albernozio, quod literas, in qui-
bus Montius inter Pamphili inimicos
recenseretur, legisset, eas fuisse temere
confictas reposuit Montius, qui unacum
Spada & Panzirollo Cardinalibus Pam-
phili partes tueri nitebatur, eidemque
ponebat, ut de sua electione agi
pateretur: Hic vero prudenter respon-
dit, se nolle proponi, nisi ab Antonio
Barbe-

Sæc. XVII. Barberino capitali suo inimico: Hoc
A. C. 1644. Pamphili responsum adeo devinxit Car-
 dinalem Antonium & Albernozum, ut
 hic Medicæo etiam Barberinis conciliato Caponium & Cornarum, ut cum
 iisdem agerent, ablegaret: Paucos
 post dies Cardinalium potissimi serio
 causam Pamphili aggrediebantur; unde Albernozium sublati Hispanorum
 Gallorumque obstaculis de felici electionis
 successu sperans, Barberinis manifestabat, quod jamjam triginta tres
 Cardinales Pamphilio faverent, de hoc
 tamen negotio nil divulgari petebat, donec omnes Conclavis rotæ essent ob-
 feratæ, ne fors Franciæ Legatus ob-
 sisteret, ac tumultum concitaret. Ea
 autem nocte, quæ diem decimam quar-
 tam Septembris insecuta est, amplissi-
 mus in Albernozii cubiculo Cardina-
 lium conventus habebatur, ut cuncta,
 quæ in proxima electione fieri oportere-
 ret, disponderentur: postea quinquaginta
 Cardinales ad Pamphili cubiculum
 concurrerunt, eidem sua oblaturi ob-
 sequia. Illucescente die in Sacello ha-
 bebatur Scrutinium, ubi Barberinus
 cum viginti tribus suffragiis accessui,
 & Albernotius cum viginti quinque
 scrutinio adfuere: deerant ergo dun-
 taxat sex suffragia, unum scilicet Electi,
 & quinque Gallorum, qui Bichio Car-
 dinale

dinale urgente Pamphilium excluse-
rant: Nihilominus Barberinus, ruptis
comitiorum claustris, ac Papa Pontifi-
cali habitu ornato, electionem Roma-
no populo die decima quinta Septem-
bris promulgavit, his verbis: *Annuntio*
vobis gaudium magnum: Habemus Papam
Eminentissimum & Reverendissimum Domi-
num Joannem Baptistam Pamphilium, qui
sibi nomen imposuit Innocentii decimi.

§. XXI.

Vita & gesta hujus Papæ ante suum
Pontificatum.

Primam lucem Joannes Baptista Pam-
philus aspexerat Romæ die septi-
ma Maij anno Christi millesimo quin-
gentesimo septuagesimo quarto: Erat
is progenitus ex Majoribus non modo
generis nobilitate, sed & sanctimonia,
eruditione, dignitatum, ipsiusque e-
tiam Romanæ Purpuræ gloria longe
celebratissimis: Ne vero Joannes non-
nisi alieno Avorum splendore inclare-
scere videretur, ipse proprio conami-
ne ac meritorum cumulo se suis Majo-
ribus, nisi superiorem, saltem parem
reddere sategit: Postquam igitur Romæ
humanioribus literis non sine magna
laude operam dederat, Theologiæ,
ac jurisprudentiæ curriculo in præci-
pue

Vita MS.
Don. Olymp.
Ciacon. in
vit. Urban.
VIII. p. 570.

Sæc. XVII. puis Italiæ Academiis feliciter emenso,
 A. C. 1644. anno ætatis suæ vigesimo laurea donatus est. Inde vero Romam reversus, primo Sacri, ut vocant Consistorii Advocatus, dein Romanæ Rotæ Auditor a Clemente VIII. renuntiatus, facile septingentas quinquaginta decisiones mira solertia, singularique prudentia exaravit, quæ tribus voluminibus comprehensæ apud hujus Familiæ hæredes hodieum asservantur. Habebat Joannes Fratrem Pamphilium Dominæ Olympiæ Maldachinæ matrimonio junctum. Erat hæc fœmina ingenii acie, memoriæ felicitate raraque in publicis privatisque rebus feliciter expediendis dexteritate ultra sexus sui limites excellens; quæ defuncto Marito suo domesticam Pamphilæ Domus curam assumpsit, omnesque illius proventus, suamque dotem in Joannem Cognatum suum, ut splendide Ecclesiastica munia obire posset, profudit, quocirca Joannes gratitudinis obsequio in omnibus suis negotiis ab ejusdem consilio & ore velut oraculo dependere consueverat, quamvis prompta hæc obsequendi voluntas ob immodicam dominandi libidinem huic fœminæ innatam, in despoticam servitutem non sine mordaci aliorum convitio degeneraret: quoniam vero comprobata morum probitas, & non

non vulgaris vultus deformitas Joannem ab omnis mali suspitione absolveret, a Gregorio XV. Nuntius Apostolicus Neapolin missus est, atque ab Urbano VIII. Datariae Præfectus, Franciscum Barberinum Cardinalem ad Gallos & Hispanos ablegatum comitari jubebatur, postea dictus Patriarcha Antiochenus ad Philippum IV. Hispaniæ Regem Legatus fuit decretus: demum vero Romam reversus, ob legationem suam summo prudentiæ applausu gestam anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo Romanam Purpuram, rubrumque galerum sibi jam ante triennium destinatum ab eodem Pontifice in Quirinali Palatio accepit: Tum vero in Sacris tam Tridentini, quam Inquisitionis & Immunitatis Congregationibus, quibus cum laude & animarum proventu præerat, semper se mansuetum, in conversatione humilem, in Ecclesiis pium, & ubique tam prudentem exhibebat, ut vitæ suæ innocentia, morumque candore lividissimos etiam obtrectantium dentes effugisset, nisi tam amplum in ejus voluntatem imperium concessisset Olympiæ; inde enim natum, ut qui Pamphili Cardinalis gratiam ac favorem expectabant, eam ab Olympia, non autem Olympiæ gratiam a Cardinale peterent, multæque

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

Hist. Eccles. Tom. LXI.

E

tique

Sæc. XVII. tique repulsam a Cardinale passi, per
A. C. 1644. ludibrium dicerent: forte Pamphilius
 nondum Olympiæ consilium exquisivit. Tandem vero mortuo Urbano VIII. septuagenarius omnium ferme suffragiis in Papam electus est Pamphilius.

§. XXII.

Ferrantis Pallavicini fata & supplicium.

*Pierr. de
 S. Rom.
 thes. chron.
 Hallerword
 bibl. curios*

*Bouche Hist.
 de Prov.*

Nondum Innocentius Pontificium conscenderat solium, cum Ferrantes Pallavicinus maledici sui calami impudentiam capitali supplicio elueret. Erat is ex antiquissima Pallavicinorum familia Placentiæ natus, qui a teneris luculenta excitatoris ingenii specimina edidit, haustisque Mediolani apud Canonicos Lateranenses primis scientiæ pietatisque rudimentis, ingenii aciem nativo stimulo semper ad altiora evolantem præsetulit: unde in celeberrimis Italiæ Academiis & eruditorum congressibus maximi nominis & honoris erat: brevi tamen illius fama ad metas hæsit, postquam laxatis luxurientis ingenii sui habenis varios edidit libellos, qui tam generis nobilitati, quam status sui conditioni oppido contrarii erant: liberiora igitur indomitæ juventutis licentia usus, modestiæ & honestatis

can-

cancellos dirupit, ac præpete cursu sibi exitium acceleravit, incassum ejus

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

amicis calami sui aculeos hebetare conantibus. Obtinuerat is a supremo sui Ordinis Præposito in Gallias proficiscendi licentiam: hæsit tamen absconditus Venetiis, ubi impudicæ cujusdam mulierculæ vinculis irretitus, ut sibi pecunias compararet, multos ingenii sui fætus edidit, Bibliopolis, quibus Pallavicini acutum sapiebat ingenium, multo pretio ejusdem lucubrationes ementibus: Has inter præcipue erat Italus tractatus sub titulo: *Cursor ex-* Il Corriere
spoliatus, in quo in Hispanos acrius *Svaligiato.*
justo invehebatur. Hoc equidem opus Inquisitio Ecclesiastica sine censura prætermisit; postea tamen a Veneto Tribunali in numerum librorum prohibitorum fuit relatum, fremente incassum Pallavicino, qui itinere in Germaniam facto Venetias reversus, infaustum suum librum limavit, multisque epistolis stylo plerumque satyrico & acri exaratis auxit, præloque subdicere molitus est: re autem comperta Archiepiscopus Vitellius tum Pontificius apud Venetos Nuntius, apud Rempublicam institit, ut Pallavicinus per integrum semestre custodiæ daretur: exemplaria tamen jamjam omnia ubique distracta erant: Postquam vero in-

E 2

ter

Sæc. XVII. ter Odoardum Parmæ Ducem & Barberinos bellum exarferat, Pallavicinus libertati redditus, Clericalem habitum omnino deposuit, ac sub specioso Principem suum defendendi obtentu opusculum, cui titulus: *La Baccinata*, convitiis ac contumeliis in Barberinam familiam refertissimum, & quod mireris potius, an detesteris, ipsi Pontificis Nuntio inscriptum evulgavit. Inde vero omnium probe sentientium invidiam in caput suum accersivit, ac improvido prorsus consilio, ut Romanam ultionem effugeret, Venetias secessit, intima familiaritate Carolo Morfio natione Gallo, cujusdam Typographi Filio junctus. Hic vero constituto pretio plectus, Pallavicino iter in Franciam sæpius proposuit, eoque fine confictas exhibuit literas, quibus ipsemet Cardinalis Richelius Pallavicini utpote Viri longe eruditissimi præsentiam omnibus votis exoptare fingebatur: Incidit in casses incautus juvenis, ac Genevam delatus, quinque libellos, quos in Italia prælo subicere minime audebat, ibidem edere constituit: cum autem de pretio, quod a Typographo petebat, convenire haud posset, re infecta discessit, viarumque ignarus, a Morfio Sorgiam Viscantini Comitatus civitatem delatus est: ubi vero ad urbis portas

tas Pontificia conspexerat insignia, *Sæc. XVI*
actum est de me, exclamans, a liçtoribus ad fluminis oram excubantibus
 A. C. 1644.
 cingitur, sub obtentu, quod prohibi-
 tas veheret merces: Ambo igitur sine
 mora custodiæ dantur: Morfius vero
 mox libertati restituitur: Pallavicinus
 autem ablatis omnibus scriptis suis
 examini sistitur, atque aliquamdiu car-
 ceri inclusus hæret: cum vero a suis
 custodibus sat benigne haberetur, ab
 illis haud difficulter candelæ usum ob-
 tinuit, noctuque carceris foris ignem
 admovens, sibi flamma exitum quæ-
 rere statuit: tempestive autem depre-
 hensus, duriori carceri mancipatur:
 tandem ex propriis suis scriptis de læsa
 Majestate convictus, decimo quarto
 post captivitatem Mense, nondum ex-
 pleto vigesimo septimo ætatis suæ an-
 no Avenione capite plexus est. Plurima
 atrocissimis convitiis scatentia, necnon
 turpissima, quæ vel ipse scripsit, vel
 ipsi fuere imputata, post ipsius mor-
 tem duobus voluminibus edita fuere,
 ex quibus *ejusdem epistolæ amorosæ, Pu-*
dicitia delusa, & Vulcani rete die vige-
 sima secunda Januarii ante biennium,
 necnon alii illius libri sub titulis: *Di-*
vortium cœleste, & Cursor exspoliatus a
Spirocinio vulgatus, die decimo octa-
 vo Decembris anno hujus sæculi qua-
 drage-

Sæc. XVII. dragesimo sexto, & denique die quarta
A. C. 1644. Julii anno Christi millesimo sexcentesi-
 mo sexagesimo primo ejusdem *Panegyrici, epithalamia, Discursus Academici, Novellæ, Beatitudo animæ, Josephus, Bersabee, Samson, Susanna, Salicæ, Scæna Rhetorica & Princeps Hermasfrotus* a Romana Inquisitione damnatis libris accensebantur. Meditabatur etiam Pallavicinus in carcere librum edere de tristitia, sed justa Nemese supplicium accelerante opus absolvere haud potuit, ejus tamen amici mortem infausi hujus juvenis ulturi paulopost Morsum Parisiis trucidarunt.

§. XXIII.

Scoti rebelles Anglis contra Carolum Regem suum juncti.

*Piafetc.
 chron.*

pag. 534.

*Rapin Thoi-
 ras Hist.*

*d' Angl. t. 9.
 pag. 490.*

Ineunte hoc anno Carolus I. Angliæ Rex, postquam rebellibus suis subditis toties, incassum tamen, æquissimas reconciliationis condiciones obtulerat, novum, ut vocant, Parlamentum Oxonii celebrandum indixit, ut de opportunis pacem Regno reddendi mediis consultaret. Hanc in rem ad Senatores, qui Westmonasterii adversus Regem convenerant, literas dedit ab ipso Regis Filio, Eboracensi Duce, quadraginta tribus Proceribus & centum octo-

decim

decim inferioris Curiae Patribus sub-Saec. XVII.
scriptas. Verum praevalente Regem A. C. 1644.
suum opprimendi studio, Westmona-
sterienses responsi loco declararunt,
quod ipsi nunquam cum Oxoniensi Par-
lamento, utpote ex privatis hominibus
& patriae proditoribus composito acturi
essent: postea publico edicto in vulgus
sparsere, quod Rex sub specioso pacis
obtentu eos inducere voluerit, ut ve-
rum Parlamentum Oxonii, non autem
Westmonasterii, congregatum esse, sal-
tem *indirecte* profiterentur: Ad tam
petulans responsum Anglos incitaverat
Scotorum adventus: Hi enim triduo
ante Oxoniensis Parlamenti initium die
decima nona Januarii cum octodecim
peditum millibus & quingentis Equi-
tibus ad rebellium opem in Angliam
penetrarunt, & sese Anglici Parlamenti
copiis, ductore Fairfaxio, junxerunt.
Tum vero de Regis solio, salute & vi-
ta actum esse, praesagiebant omnes:
cum enim ad necessariam sui defensio-
nem contra rebellium violentias nil re-
liquum haberet, quam arma, aut pa-
cem: hac pertinaciter repudiata, prae-
ter dubiam belli fortunam, insuper non-
nisi exigua ab exteris subsidia, contra
tam validos hostes nimium infirma,
sibi polliceri poterat; praeterea rebelles
Regem omnibus suis vectigalibus &

Sæc. XVII. A. C. 1644. tributis destituebant, atque in Regis
æque ac Reginæ, Regii Filii, & Epi-
scoporum redditus & bona, sequestri
specie manus injiciebant, adeo, ut
Rex, unde victum compararet, vix sibi
relictum quereretur: Econtra autem
rebellibus proclive erat copiosum con-
scribere exercitum, ipsique jamjam vi-
ginti armatorum millia contraxerant,
antequam Rex pro vitæ suæ securitate
quingentos conducere, illique plura
possiderent belli tormenta, quam Rex
sclopetos: quippe Londinenses jactato
Parlamenti & Religionis libertatem,
avitasque Regni leges tuendi obtentu
fascinati, rerumque novarum cupidi
maximo numero ad rebellium vexilla
concurrerunt: Præcipue vero Puritani
Præcones, ut immutato Ecclesiæ Re-
gimine opimos Episcoporum Decano-
rumque redditus ceu justam hæredita-
tem aucuparentur, claustrum ex sug-
gestu cecinere, unde pacis Evangelium
promulgare debuissent: Seditiosis ho-
rum follibus inflati Viri, immensam
æris signati, & argenteæ suppellectilis
vim ad belli expensas contulere, mu-
lieres quoque abjecta rei domesticæ
cura annulos aureos, connubii pignora,
mundumque muliebrem nequidem ro-
gatæ, inaudito prorsus exemplo in æra-
rium deportarunt: ut vero Regem suum
omni

omni ope destituerent, seditiosi bona Sæc. XVII.
 Nobilium, Procerumque, quos Regis A. C. 1644.
 partibus studere compererant, diripue-
 runt, atque in militum stipendia con-
 verterunt, necnon promulgato edicto
 sanxerunt, ut semel in hebdomada abs-
 que prandio viverent, sumptusque a-
 lias in hoc convivium expendendos pro
 alendo exercitu reponerent.

§. XXIV.

*Regis copiarum a rebellibus Anglo-Sco-
 tis iterata clade profligatarum.*

Igitur utriusque Curiae Senatores Sco-
 torum copiis aucti numerosum mi-
 litem in aciem educunt, ac die vigesi-
 ma octava Februarii Neo-Castrum
 Marchionem, qui Scotis Tynæ traje-
 ctum præpedire nitebatur, Dunhelmum
 usque propellunt, ejusque Tribunum
 Bellossium nomine, qui cum suis Ebo-
 raco erumpens Seltii castra metabatur,
 unacum mille sexcentis gregariis ca-
 piunt, cæsisque quamplurimis occupa-
 tisque quatuor belli tormentis & bis
 mille sclopetis quingentisque equis ur-
 bem vi expugnant. Accepta hac re-
 giorum clade Neo-Castrius cum suo
 exercitu Eboracum contendit, Londi-
 nenses vero pro obtenta contra Regem
 victoria solemnes decrevere gratulatio-
 nes.

Rusworth
 Vol. 5. p. 617.
 Salmon Hist.
 d' Angl. t. 1.
 p. 240. &
 244.

Sæc. XVII nes, moxque Fairfaxius cum triplici
 A.C. 1644. rebellium agmine Eboracum cingere
 statuit: Interim vero Robertus Palatinus Princeps in Scotos, qui Nevarcham urbem ductore Joanne Meldrumo obsederant, aggressus, a fronte & a tergo totis viribus irruit, eosque undique cinctos ad deditionem compulit, omnibus tormentis, totoque belli apparatu in suam potestatem redacto: inde Princeps promotis in Lancastriensem Provinciam castris Derbyam Comitissam, quam rebelles integro jam bimestri in sua arce obsessam tenebant, Popwortha & Boltonio urbibus vi occupatis liberavit, continuatoque victoriarum cursu Leerpolum portum, ejectis rebellibus Regi subiecit. Ibidem Rupertus, ut Eboracensi urbi a rebellibus obsessæ succurreret, acceptis a Rege literis admonetur: quocirca contractis circiter triginta regionum millibus die trigesima Junii Eboracum advolat, urbemque obsidione liberat, collatisque cum Neo-Castrio consiliis acie discernere constituit: die igitur secunda Julii Marstonmorii urbe quatuor passuum millibus Eboraco diffita Anglo-Scotos adoritur, primoque impetu lævum hostis cornu in fugam agit, atque in Oliverii Cronwelli Equitatum ferociter incurrit, Ducemque vulnerat: vicissim

cissim vero qui in lævo agmine pugna- Sæc. XVII.
 bant, a rebellibus pene obtriti sunt: A. C. 1644.
 Instabat ex victoribus unusquisque
 hosti suo, ac demum, quo fato, in-
 cognitum, utraque acies in eodem
 loco, ubi pugnae datum initium, jun-
 ctis prope agminibus erat in conspectu:
 tum vero Princeps prælium, quod jam
 languerat, solus accendit, confirma-
 tisque tandem animis denuo in hostem
 ire jubet: Pertinax utrinque pugna,
 quæ duabus horis ante noctem inchoa-
 ta, in sequentem adhuc diem incredi-
 bili pugnandi, vincendique aviditate
 continuatur: tandem vero Manchestrius
 subditis calcaribus in Regios Equites
 proruit, turbatisque ordinibus illos fu-
 dit; horum strage pedites Regii panico
 pavore perterriti, non sine magna clade
 hosti locum cessere: Hærebat in tergis
 fugientium victor, eosque Eboracum
 usque continuata cæde insequabatur.
 Vexilla, omne bellicum instrumentum,
 machinæ & tormenta in potestatem
 rebellium devenere, peditumque ple-
 rique cæsi aut capti. Accepta hac cla-
 de Neo-Castrius in Hollandiam aufu-
 git, Robertus vero Princeps collectis
 exercitus sui reliquiis Cestriam movit;
 Expulso igitur Rege ex omnibus suis
 Septentrionalibus ditionibus, rebelles
 nullo negotio Eboracum deditione ce-
 perunt,

Sæc. XVII. perunt, Regiisque Alresfordiæ cæsis
A. C. 1644. Oxonium obsidere pararunt: quocirca
 Regina, licet partui proxima esset,
 inde excedere, ac primo Exoniam,
 postea Volemutum aufugere cogebatur,
 in Franciam reversura: Rex vero cum
 filiis & magna Equitatus parte ægre
 Oxonio excessit, ac postea Worcest-
 riam sese recepit, quem Wallerus Es-
 sexiæ Comitis jussu presso pede infecta-
 batur: vicissim vero Rex mutato for-
 tunæ flatu Essexiæ Comitem, qui Co-
 risopotanam Provinciam cum valido
 agmine invaserat, intercisa omnis an-
 nonæ opportunitate ad eas redegit an-
 gustias, ut equitatu noctis beneficio
 ægre fuga dilapso, totum peditatum
 dispergeret, & Skipponum rebel-
 lium Belliducem pactis deditiois
 legibus compelleret, ut Regi omnia
 belli tormenta, currus, arma, omnem-
 que reliquum apparatus, militibus li-
 bere Lestitellam abire permissis, cede-
 ret: Verum hæc victoria Regi magis
 fuisset proficua, si hos milites unacum
 suis Tribunis jure belli captos abduxis-
 set: prævalente autem ejus clementia,
 iterato utriusque Curix Senatores ad
 pacem inclinare studuit, hanc in rem
 Westmonasterium misso quodam Nobili
 plena agendi facultate instructo. Ve-
 rum rebelles tam duras præscribere
 leges,

leges, ut Rex salva sua auctoritate, con-
scientia & honore illas nullatenus ac-
ceptare potuisset, uti paulopost memo-
rabimus. Demum reliquo totius anni
cursu utrinque alternante fortuna, ple-
rumque tamen Regiis infausta, dimi-
catum est: utriusque vero Curiae Se-
natores seu Parlamentum Presbyteria-
norum Liturgiam adoptari præcepit,
declaravitque, quod communium pre-
cum liber, oratio Dominica, Symbo-
lum Apostolorum, & decem præcepta
Decalogi nonnisi res, precesque inuti-
les essent.

§. XXV.

*Ragotsii bellum in Hungaria adversus
Cæsarem.*

Hoc item anno Georgius Ragotsius
Transylvaniæ Princeps, instigan-
tibus Suecis, cum exercitu septuaginta
millium in Hungariam irrupit, ut Cæ-
saribus viribus novo bello distractis Tor-
stensonius Daniæ Regem eo potentius
opprimere, & Protestantes in Germa-
nia eo liberius Catholicos suis ditioni-
bus spoliare possent. Hic ergo accer-
sit etiam Turcis Cassoviam urbem,
pulso Cæsareo præsidio, occupavit, ibi-
demque promulgato decreto seditiosæ
invasionis suæ iniquitatem jactato liber-
tatis

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

Brachel.
Hist. temp.
lib. 6.
Orthel.
Chron.
Hung. p. 145.
Piafec.
chron. p. 521.

Sæc. XVII. tatis Religionisque tuendæ obtentu ho-
A.C. 1644. nestare conatus est, acriter in Eccle-
 siasticos & Jesuitas tanquam Calvinia-
 næ sectæ hostes invehens. Haud cun-
 ctabatur Imperator Bucheimium Co-
 mitem e Moravia Possonium cum va-
 lido exercitu decernere: interea vero
 Ragotsius rapido armorum cursu Zat-
 mariam, Toccayam, Epperias, Sen-
 dicum, pluresque ad utramque Tibisci-
 ripam sitas urbes qua vi, qua dedi-
 tione subegit, ac Villecam urbem arcte
 cinxit, cujus tamen obsidionem, Cæ-
 sareorum adventu territus solvere co-
 gebatur: Turcæ etiam iterata clade a
 Bucheimio protriti, tandem Ragotsii
 partes deseruere; quapropter Ragotsius
 horum ope destitutus, pluriumque
 Hungarorum transfugio debilitatus, in
 Transylvaniæ fines recessit, missisque
 ad Nicolaum Esterhasium Regni Pala-
 tinum Oratoribus primo inducias, ac
 demum pacem exorabat; postquam
 vero Cassoviam a Cæsareis incassum
 obsessam, atque a Bakosio Gabore
 Transylvano Belliduce liberatam com-
 pererat, cum valido agmine Epperiis
 erumpens, quatuor Legiones Cæsareas
 fudit, fugavitque, inde vero, necnon
 morbis, crebrisque velitationibus Bu-
 chemii copię oppido imminuebantur;
 quin tamen prompti subsidii spes esset;
 Poloni

Poloni enim, quos Cæsar in opem ad-
 vocaverat, suppetias ferre recusabant,
 veriti, ne bello alieno haud laceffiti
 implicarentur: Rex tamen Poloniæ a-
 pud Ragotsium conciliandæ paci ope-
 ram suam offerebat: Sub idem vero
 tempus Comes Wefelinus, Villeccæ
 Gubernator validissimam Muranæ ar-
 cem, cæsis præfidiariis, astu interce-
 pit, & Cæsareus Bellidux Gözius Co-
 mes quatuor Ragotsianorum Equitum
 millia Toccaij adorsus, plusquam bis
 mille cæsis, captisque quamplurimis,
 ceteros in fugam egit. Adversa hæc
 belli fortuna Ragotsium ad pacis con-
 silia compulit, quocirca Cæsareis Le-
 gatis Tyrnaviæ congregatis has condi-
 tiones proposuit. I. Ecclesiæ ab anno
 millesimo sexcentesimo octavo Prote-
 stantibus ereptæ restituantur vel de-
 structæ denuo erigantur, & transgres-
 sores juxta Uladislai decretum punian-
 tur, II. Monasteria, & Ecclesias de-
 relictas denuo erigere, ac ibidem libe-
 rum Religionis usum invehere, Prote-
 stantibus integrum sit. III. Coram tri-
 bunali Ecclesiastico nil præter Matri-
 moniales causæ dijudicentur, religio-
 nis autem negotia a cujuslibet Comi-
 tatus Superintendentibus dirimantur.
 IV. Jesuitæ nulla possideant bona, &
 Regno ejiciantur. V. Infesta quæstio
 de

Sæc. XVII.
 A. C. 1644.

Sæc. XVII. de nomine Evangelicorum Ordinum
A. C. 1644. silentio prematur. VI. Procerum &
 Nobilium Proles, si Sacræ militiæ no-
 men dant, omnibus suis bonis cedant.
 VII. Episcopatus, ceteræque digni-
 tates Ecclesiasticæ nonnisi Magnatibus
 & Nobilibus conferantur. VIII. Re-
 gni officia absque habita religionis ra-
 tione distribuantur. IX. Decimarum
 pretium ab Ecclesiasticis non augeatur.
 X. Serventur pacta Viennensia ab an-
 no hujus sæculi octavo. XI. Servatis
 antiquis privilegiis & consuetudinibus
 plena præteritorum oblivio concedatur:
 Hi articuli ultro citroque acriter discu-
 tiebantur, cum vero Ragotsiani præci-
 pue Protestantium Ecclesias restitui,
 depressæ sectæ Authores puniri, & Je-
 suitas ejici, pertinacius peterent, e
 contrario autem Esterhasius Palatinus,
 & Strigoniensis Archiepiscopus Regni
 Primas iniquis hisce postulatis vehe-
 menter obsisterent, hoc anno pax con-
 cludi haud poterat.

§. XXVI.

Principum atque Illustrum obitus.

Ferrer. con-
tin. Hist.
Hisp. t. 13.
cap. 2. p. 114. Non sine magno rei Hispanicæ de-
 cremento hoc anno die sexta Octo-
 bris Madriti decessit Isabella Borbonia,
 Henrici IV. Franciæ Regis Filia, &
 Phi-

Philippi IV. Hispani Regis Conjux. *Sæc. XVII.*
 Hæc Princeps omni virtutum genere *A. C. 1644.*
 exulta, ac masculo animo prædita
 Hispani nominis gloriam fartam fer- *Brachel.*
 vare, oppido sollicita erat; unde pro *Hist. temp.*
 ea, qua inclaruit, prudentia fortiore *lib. 6.*
 sexu digna Catalanorum, Lusitanorum- *Schwanadt.*
 que defectionem ex Olivarii Ministri *Script. rer.*
 crudelitate ortum traxisse, probe co- *Hung. t. 3.*
 gnoscens, eundem ab Aula semoveri,
 Regemque Maritum suum, ut ipse ad
 bellum procederet, inducere sategit,
 quinimo ipsamet sæpius consensu equo
 exortos tumultus sedavit, prosperum-
 que Catalonæ expeditionis successum
 haud parum promovit: Infausto autem
 prorsus fato die vigesima quinta Se-
 ptembris in gravem incidit morbum,
 ex quo nonnisi quadraginta duos an-
 nos nata supremum obiit diem, relicto
 Filio Carolo Balthasare Asturiæ Prin-
 cipe, qui biennio post decessit, & uni-
 ca Filia Maria Theresia Ludovico XIV.
 Galliarum Regi anno hujus sæculi quin-
 quagesimo nono in matrimonium elo-
 cata. Hanc eadem mortis necessitate
 præcesserat Cæcilia Renata Uladislai
 Poloniæ Regis Conjux, & Ferdinandi
 III. Cæsaris Soror, quæ anno ætatis
 suæ trigesimo tertio Mense Martio ex
 partu Vilmæ in Lithuania obiit, ac lu-
 culentum planctus argumentum Regi
Hist. Eccles. Tom. LXI. F, suo

Sæc. XVII. suo marito exstitit. Hic anno insequenti
A. C. 1644. Aloysiam Mariam Nivernii Ducis filiam
 Parisiis duxerat, quamvis nonnisi anno
 hujus sæculi quadragesimo sexto Mense
 Martio solemnes Matrimonii ritus Var-
 soviæ curante Joanne de Torres Archi-
 episcopo Adrinopolitano, & summi
 Pontificis Legato fuerint repetiti.

Hoc item anno in gravem morbum,
 ex quo anno sequenti decessit, incide-
 rat quoque Nicolaus Esterhasius Regni
 Hungariæ Comes Palatinus, qui Fran-
 cisco & Sophia Parentibus acatholi-
 cis natus, quamvis ob ingenitas bonæ
 indolis dotes, & grandium virtutum,
 facinorumque præfaga specimina utri-
 que parenti præ ceteris prolibus mire-
 charus fuisset, ob susceptam tamen an-
 no hujus sæculi decimo octavo Catho-
 licam fidem a Patre non modo indigne
 habitus, sed & paterna domo & hæ-
 reditate exturbatus est: Sollicitabatur
 insuper miris artibus ac dolis ab Avun-
 culo suo, ut ad sectam rediret, maluit
 tamen Nicolaus inops & exul solum
 mutare, quam opulentus hæres fidem
 abjurare: itaque primo ad Francisci Me-
 gozii Cassoviensis Præfecti ædes, postea
 Viennam ad Mathiam & Ferdinan-
 dum II. Cæsares profectus, pro Re-
 publicæ Christianæ Salute ac negotiis
 crebras obibat legationes, pacemque
 inter

inter Cæsarem & Georgium Ragotsium Sæc. XVII.
Transylvaniæ Principem concludere A. C. 1644.
fatagebat: tandem vero anno sequenti
die undecima Septembris anno ætatis
sexagesimo tertio ærumnis, curis &
laboribus pro patria & Religione exant-
latis pene fractus decessit, sat amplas
quidem posteris suis divitias, amplio-
rem tamen relinquens priscæ fidei, pie-
tatis, virtutumque hæreditatem. Suc-
cessorem habuit Joannem Draskovi-
chium Comitem de Trakosthiam, qui
anno hujus sæculi quadragesimo septi-
mo in Regni Palatinum electus est.

§. XXVII.

*Nonnullæ Urbani VIII. & Inno-
centii X. Constitutiones.*

Paulo ante obitum suum Urbanus VIII. *Bull. magn.*
Pontifex maximus die vigesima *Urb. VIII.*
Aprilis edita constitutione decidit, quod *& Innoc. X.*
reformatis Fratribus Minoribus in pu-
blicis supplicationibus dignior locus in
Hispaniis competat præ Fratribus Or-
dinis Eremitarum S. Augustini: die e-
tiam decimo Maij idem Pontifex aucto-
ritate Apostolica confirmavit decretum,
vi cujus Moniales Ordinis Carmelita-
rum Discalceatarum, si per integrum
triennium vel ob senium, ægritudinem
aut amentiam quædam Monialis ad
F 2 chorum

Sæc. XVII. A. C. 1644. chorum aliaque dicti Ordinis ministeria incapax reperiatur, completo etiam unius & viginti numero, alias earum loco recipere valerent. Demum neoelectus Pontifex Innocentius X. die tertia Decembris ad implorandam Dei opem pro fausto regimine Jubilæum promulgavit: die autem decima nona Decembris decrevit, quod Cardinales, etsi sint Principum Filii vel alia natalium prærogativa fulgeant, solo tamen *Cardinalis* titulo contenti, absque ullo profanæ dignitatis addito nuncupentur, nec inter se alio titulo uti valeant, quam *Eminentissimi & Reverendissimi*: imo nequidem suis gentilitiis insignibus coronas, cassides &c. sed duntaxat rubrum pileum apponi curent.

§. XXVIII.

Variae Sacrarum Congregationum decisiones.

Const. SS.
Congr. Rit.
Episc.

Interveniente Urbani VIII. obitu, & Innocentii X. electione, nonnisi paucæ Sacrarum Congregationum decisiones hoc anno occurrunt: has inter Sacra Rituum Congregatio die decima quarta Maij annuente Papa declaravit, quod dum quædam legata relinquuntur cum onere celebrandi Officium cuiusdam Sancti sub *altiori* ritu, quam qui

qui a Sede Apostolica est præscriptus, Sæc. XVII.
 liceat Officium hujusmodi solemnius A. C. 1644.
 celebrare quoad pompam exteriorem,
 non autem quoad ritum Ecclesiasticum.
 Jussit quoque eadem Congregatio die
 quarta Junii, ut reprobato duplicis
 turribuli usu Cæremoniale Episcopo-
 rum servetur: declaratum insuper die
 decima sexta Augusti. quod Abbatibus
 Cassinensibus non liceat consecrare Al-
 taria, nisi pro usu propriæ Ecclesiæ,
 & Religiosorum ejusdem Ordinis tan-
 tum. Sacra vero Concilii Congregatio
 die decima quinta Octobris decedit,
 quod Regulares, postquam ab aliquo
 Ordinario pro excipiendis Confessionibus
 sæcularium sunt approbati, si
 transferantur ad commorandum in fa-
 milia alterius monasterii sui Ordinis ex-
 tra Diæcesin, in qua fuerunt approbati,
 non possint ibidem audire confessiones
 subditorum præfatæ Diæcesis, in qua
 morantur.

§. XXIX.

Benedicti Ubaldi Cardinalis obitus.

Regnante adhuc Urbano VIII. Papa *Ciattus in*
 ex Purpuratorum Collegio tres vi- *Annal. Pe-*
 vis ereptos legimus. Horum primus *rus. Ciacon.*
 erat Benedictus Ubaldus Nobilis Peru- *in vita Ur-*
 sinus, qui Patruī sui cura, Romæ in *ban. VIII.*
 F 3 probi-

Sæc. XVII. probitatis cultu, & Jurisprudentiæ scientia eminuit, ac per aliquot annos Advocati munere functus, tandem Rotæ Romanæ Auditor, ac demum Cardinalis & Perusinus Episcopus necnon Bononiæ Legatus a latere renuntiabatur, quæ omnia munia summa integritate, & maxima populi utilitate obibat: Administrabat quoque Ecclesiam suam incredibili gregis sui applausu usque ad annum Christi millesimum sexcentessimum quadragesimum secundum, quæ eam Horatio Monaldo germano Fratris suo cessit: demum vero sexagenarius in summa egestate die vigesima Januarii Perusiæ decessit.

§. XXX.

Alexandri Cæsarini Cardinalis extrema.

*Ughell. Ital.
Sac. Visto-
rel. in add.
ad Ciac.*

Alter erat Alexander Cæsarinus Nobilis Romanus, qui Parmæ expleto Philosophiæ curriculo Romam reversus Jurisprudentiæ operam dedit; sacris postea Ordinibus initiatus, Juris utriusque Doctor, Signaturæ Referendarius, Cameræ Apostolicæ Clericus, ac tandem Cardinalis & Episcopus Viterbiensis nominabatur: Huic Ecclesiæ, restituto Seminario, nonnisi duobus annis, cum magna tamen laude præfuit.

fuit, longiore vita & fortuna digniffi-
mus: obiit demum Romæ die vigesi-
ma quinta Januarii anno ætatis suæ
quingagesimo secundo.

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

§. XXXI.

Julius Sabellus Cardinalis mortuus.

Denique hoc anno die octavo Julii *Ciacon. in*
Romæ, ubi natus est, vivere desiit *vita Paul. V.*

Julius Sabellus ex illustrissima Princi-
pum hujus nominis gente ortus. Hic
multis Præfecturis integre sancteque
defunctus, a Paulo V. ad conciliandam
pacem inter Philippum III. & Carolum
Sabaudix Ducem Nuntius Apostolicus
nominabatur, inde vero non sine pro-
speri successus gloria reversus, Ripal-
tensi Abbatia, Purpura Romana, &
postmodum Anconitano Episcopatu, &
Bononiensi Legatione honoratus est,
ubique ob insignem prudentiam, hu-
manitatem, & moderationem omnium
animos ad se alliciens, & apud omnes
desiderium sui relinquens. Paulopost
petente Philippo IV. Salernitanus Ar-
chipræsul renuntiabatur, quem etiam
Uladislaus Poloniæ Rex, & Ferdinan-
dus III. Germaniæ tuendæ vindicem,
& ad Urbanum VIII. Papam Oratorem
selegerunt: indictis demum Pontificiis
comitiis Julius, cum ad majora prope-

F 4

raret,

Sæc. XVII. raret, hoc anno omnium luctu septua-
A.C. 1644. genarius vitæ cursum absolvit, æter-
 nam dignitatem meruisse contentus.

§. XXXII.

Guidonis Bentivolii Cardinalis fata.

Nic. Erythr.
Pina II.
pag. 332.
Ughell. Ital.
Sacra.

Jam Urbanus VIII. fatis cesserat, cum Guido Bentivolius in primo con-
 clavis ingressu Pontificatus spem & vi-
 tam amisit. Hic nobilissimo genere
 Ferrariæ ortus ab ineunte ætate se to-
 tum pietatis studio consecrans, latino,
 Hispano, & Gallico idiomati, literis-
 que humanioribus sedulam navabat
 operam: demum in Patavina Universi-
 tate Jurisprudentiæ præceptis imbutus,
 Romam ad capeffendam Rempublicam
 accessit, ibidemque a Clemente VIII.
 & Paulo V. variis honoratus officiis,
 atque Archiepiscopus Rhodiensis & Se-
 dis Apostolicæ Nuntius renunciatus,
 Belgicam Provinciam summa morum
 integritate, ac mira prudentia non sine
 magno Catholicæ Religionis incremento
 moderabatur. Adfuit etiam transla-
 tioni Corporis sancti Alberti Episcopi
 Leodiensis & Martyris, dum illud Bru-
 xellas ad Sacram ædem Carmelitarum
 Virginum Excalceatarum deducebatur.
 Transactis jam in Belgio pluribus annis
 Bentivolius a Paulo V. Purpura deco-
 ratus,

ratus, in Franciam Nuntius decerne-
batur, ubi Regis, Reginae, Proce-
rumque amorem & benevolentiam sibi
tam feliciter conciliabat, ut communi
suffragio in Gallici Regni Protectorem
expeteretur: nihil enim in ejus indole
deprehendebatur, nisi honestum, ni-
hil nisi grave & magnum, atque ab
omni quæstus studio alienum: unde in-
ter tot honores & dignitates non modo
ferme omnibus ad tuendum, quo eum
virtus collocabat, dignitatis gradum
requisitis, sed etiam ad vitæ usum ne-
cessariis carebat: ne tamen ære alieno
gravaretur, ædes suas hortosque, li-
cet magnificos, creditoribus suis cessit,
atque imminuto Ministrorum numero
alienam domum mercede conductam
incoluit: Tandem mortuo Urbano VIII.
si solius meriti ratio fuisset habita, &
mortis invidia non prævaluisset, Ben-
tivolius omnium ore solum Pontificium
conscendisset: vix autem conclave in-
gressus, ob virium imbecillitatem se
sustinendis ejusmodi incommodis im-
parem fore, prædixerat: huic quoque
vaticinio respondit eventus; quippe
post undecim noctes, quas insomnes
absumpserat, lethali febris correptus,
atque ad finitima conclavis cubicula
deportatus die septima Decembris in
Palatio Vaticano annos natus sexaginta

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

Sæc. XVII. septem decessit, ac sine ullo funeris, A. C. 1644. aut monumenti honore, & absque sepulcrali inscriptione, uti præceperat, in æde S. Sylvestri apud Patres Theatinos sepultus est.

Scripsit Historiam Belgicam, epistolas & commentaria rerum Ecclesiasticarum, quæ a Clemente VIII. usque ad sua tempora produxerat: Edidit quoque non obscuro calamo, præter legationem suam Belgicam, descriptionem Troyæ ludi in Circo Agonali Romæ peracti a Cardinale Antonio Barberino, præsentem Carolo Poloniæ Principe.

§. XXXIII.

Duo Cardinales ab Innocentio X. creati.

Horum jacturam Innocentius X. Pontifex nonnihil compensabat duorum Cardinalium inauguratione, quorum prior die decima quarta Novembris Joannes Carolus Medices Cosmi II. Magni Etruriæ Ducis Filius nominabatur: alter erat Camillus Pamphilius Innocentii X. ex Fratre Nepos, qui instigante Olympia Matre sua Cardinalium Collegio adscriptus, triennio post, assiduas Patruj sui objurgationes pertæsus, Purpuram exiit, atque Olym-

Olympiam Aldobrandinam Rossani Sæc. XVII.
 Principis Viduam duxit. A. C. 1644.

§. XXXIV.

*Synodi Paderbornensis Diæcesanæ
 Decreta.*

Hoc item anno Ferdinandus Bavarix Hartzh. t. 19.
 Dux, Coloniensis Archiepiscopus, Concil. Ger-
 & Episcopus Paderbornensis die octa- man. p. 652.
 va Martii Diæcesanam habuit Syno-
 dum, ut disciplinam Ecclesiasticam,
 populique mores ob gravissimorum bel-
 lorum injurias, extremasque totius
 Diæcesis devastationes multis in par-
 tibus depravatos pristino nitori ac di-
 gnitati restitueret: Hanc in rem præ-
 primis omnibus Parochis injunxit, ut
 referrent, quot & quos hæreticos in
 locis sibi commissis numerent, & an
 Prædicantes ibidem matrimoniis, e-
 tiam in gradibus prohibitis assistant,
 Baptizent & sepeliant, & utrum po-
 pulus sermonibus, & catechismis rite
 pascatur, officia Divina, dies festi & je-
 junia prout decet, peragantur, & an
 Ecclesiæ Aris, vestibus & suppellectile
 Sacra sint provisæ &c. In ceteris ve-
 ro hujus Synodi decretis nihil specia-
 liter observandum occurrit.

§. XXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

§. XXXV.

Quidam Scriptores Catholici hoc anno defuncti.

*Nouvell.
Bibl. Dupin.
Siecl. XVII.
Bibl. Hist.
des Aut. de
la Congr.
de S. Maur.
Abregé de
l'hist. Eccl.
t. 10. p. 385*

Ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui suis lucubrationibus ingens Ecclesiæ Catholicæ obsequium præstitere, atque hoc anno fatis functi sunt, præcipue locum sibi vendicant sequentes. I. Simon de Muis patria Aurelianensis, ac linguæ Hebraicæ Professor Regius, qui commentaria omnibus numeris absoluta in Psalmos & Cantica edidit, ac præcipue loca, in quibus vulgata a textu hebraico discrepat, annotavit: Alium quoque conscripsit librum sub titulo: *Varia Sacra*, in quo difficiliora loca a Genesi usque ad librum Iudicum sat erudite explanavit, totum tamen opus non absolvit, præpeditus a Patre Morino, qui in suis Exercitationibus Ecclesiasticis textus hebraici puritatem auctoritatemque impugnavit: contra hunc ergo Simon dissertationem, censuram & denique tertiam apologiam pro editione Hebraica seu castigationem animadversionum contra ejus censuram a P. Morino editarum posteris reliquit. Præterea idem Author typis vulgavit notas in Grammaticam Hebræam Bellarmini, Commentarium

tarium Hebræo-Latinum Rabbinorum Sæc. XVII.
 Kimchi & Jarchi in Malachiam, & No- A. C. 1644.
 tas ad librum primum Criticæ Ludo-
 vici Capelli: Cuncta hujus Scriptoris
 opera Parisiis cura Claudii de Alvernia
 Regii Professoris anno hujus sæculi
 quinquagesimo in uno volumine pro-
 dierunt. II. Hugo Menard Benedicti-
 nus, qui primus ex Congregatione S.
 Mauri, libris in Ecclesiæ utilitatem di-
 vulgandis operam dedit, vastissimum-
 que sui Ordinis Martyrologium unacum
 notis, necnon concordiam Regularum
 S. Benedicti de Aniana unacum vita e-
 jusdem Sancti ab Adone descripta e-
 didit: Scripsit quoque notas in S. Gre-
 gorii Magni librum de Sacramentis,
 præter Diatribam *de unico Dionysio*. Præ-
 lo insuper paratam habebat editionem
 Epistolæ sub nomine S. Barnabæ, quam
 notis eruditissimis illustrare aggre-
 diebatur, sed paulopost Parisiis vita
 functus est. III. Daniel Clementinus
 scripsit tractatum de Antilogiis & ab-
 surdis Socinianorum. IV. Jacobus
 Merlonus vulgo Horstius edidit denuo
 opera S. Bernardi. V. Antonius Cliel-
 mus descripsit excellentias SS. Triadis,
 Calvariam Laureatam, præter incen-
 dium Montis Vesuvii. VI. Melchior
 de Torres ex Ord. Redemptorum de
 Mercede edidit Agriculturam Christia-
 nam

Sæc. XVII. nam seu exercitia Religiosorum, vi-
A. C. 1644. etoriam sui, & chronicon sui Ordinis.
 VII. Petrus Monodus Jesuita, vulga-
 vit commentaria de Eugenii IV. &
 Amadæi Sabaudi seu Felicis V. Ponti-
 ficum controversiis, ubi continetur ex-
 acta Synodi Basileensis Historia: edi-
 dit quoque illius apologiam pro Sab-
 audæ Principibus, & disquisitionem
 Historicam de conjunctionibus Sabau-
 dæ & Franciæ. VIII. Caspar Segui-
 ran ex eadem Societate, a Ludovico
 XIII. Galliarum Rege in Concionatorem
 & Confessarium adlectus, qui duos
 tomos Concionum in Dominicos & fe-
 stos dies Parisiensibus literis excudi cu-
 ravit. IX. Franciscus Freyre itidem
 Jesuita, qui libros quinque consiliorum
 & totidem de Heroum symbolis, præ-
 ter S. Elisabethæ Lusitanæ vitam &
 tractatum de excellentia Imperii Au-
 striaci elucubravit. X. Joannes a S.
 Thoma splendidum Ordinis FF. Prædi-
 catorum lumen præter Philosophica e-
 didit octo tomos Theologiæ Scholasti-
 cæ: exstat quoque perelegans ipsius
 tractatus de approbatione & puritate
 doctrinæ D. Thomæ, necnon explica-
 tio doctrinæ Christianæ, pluraque alia
 Hispano idiomate exarata. XI. An-
 dreas a S. Michael Frater Laicus in-
 ter

ter Carmelitas Discalceatos Conventus Sæc. XVII.
 Angelopolitani, qui librum de me- A.C. 1644.
 rito B. V. Mariæ Mathematicè compro-
 bato, veram Arcæ Noë dimensionem
 contra Goropiam, necnon ingens vo-
 lumen de Architectura, & aliud de
 motu cælorum, & modo exhauriendi
 subterraneos latices edidit.

§. XXXVI.

*Scriptorum A catholicorum obitus, eo-
 rumque lucubrationes.*

Ex Scriptoribus A catholicis, qui hoc ^{Freher.}
 anno obiire, recenseri merentur. ^{Theol. erud.}
 I. Henricus Alting, e cujus calamo ^{part. I.}
 profluxit expositio Catecheseos Palati- ^{seff. 3.}
 næ, methodus Theologiæ Dialecticæ, ^{Vit. Prof.}
 & Catecheticæ, exegesis Confessionis ^{Græn.}
 Augustanæ, & problemata tam theo-
 retica, quam practica præter locos
 communes didacticos & Elenchicos.
 II. Fabianus Heidenus, qui hominis
 peccatoris antidotum posteris reli-
 quit. III. Christophorus Richter, qui
 præter suas declamationes edidit
 libellum, cui titulus: *Balneum Chri-
 stianorum.*

§. XXXVII.

Sæc. XVII.

A. C. 1644.

§. XXXVII.

*Fabius Chisus pro Religionis causa
ab Innocentio X. Sedis Apostolicæ
Legatus Monasterium
decretus.*

*Adam. Ad.
relat. Hist.
pac. Westph.*

Jam dudum Ginettus Cardinalis Apostolica Legatione in Monasteriensibus pacis comitiis fungebatur, cum vero valetudinis curandæ causa jam aliquo abhinc tempore in Italia hæreret, Rossetus autem, qui absentis vices agebat, Gallis minime acceptus, & Cæsareis Hispanisque propensior ab eis crederetur, hinc Urbanus VIII. Papa Fabium Chisium Pontificium Coloniensem Nuntium eo ablegabat, qui etiam die decima nona Martii Monasterium adveniens, summo excipiebatur applausu, & usque ad negotiationis terminum, sese incorruptum, integerrimumque Mediatorem ut in mandatis acceperat, exhibebat: Juebatur enim a Pontifice, ut neutri parti adhærens, sedulo omnem de partium studio suspicionem declinaret, nec proprio nutu pacis condiciones proponeret, nec propositis etiam præcipiti assensu vel dissensu insisteret, sed duntaxat ea, quæ utraque pars esset propositura, exciperet,

ret, rationesque allatas mature ponderaret, nec unquam insciis Mediatoribus, desuper Romam relationem mitteret, ac pariter ejus domestici sese ab omni partium studio alienissimos exhiberent: Inde vero elucet, quantum ipsemet summus Pontifex, ut omnes integri Mediatoris partes expleret, in neutram partem magis propendere, intentus fuerit; igitur non tam confutatione, quam miseratione, digna est animadversio quorundam, qui hunc Pontificem de partium studio insimulant, eoquod oppressis Principibus Catholicis contra Protestantes suffragatus, bona Ecclesiastica pristinis suis Successoribus restitui, & æquilibrium in Italiæ ditionibus servari adlaborarit: forte contra spoliatos Principes Ecclesiasticos favere debuisset Protestantibus, qui eum, ne dicam communem Patrem respiciunt, sed tanquam Antichristum unacum universa Ecclesia evertere, toto studio conati sunt? fors Mediatore Lutherani a partium studio penitus alieni fuere, dum Principes Catholicos ab avitis juribus, bonorumque possessionibus omni vi & violentia deturbare certabant? Fors Pontifex, dum per pacem metu, minisque extortam Catholicis potissimam bonorum suorum partem eripi cernebat,

Sæc. XVII.
A.C. 1644.

*Bougeant
Hist. bell.
tric. tom. 2.
p. 8. cum
annot.*

Hist. Eccles. Tom. LXI.

G

tan-

Sæc. XVII. tanquam communis Catholicorum Pa-
A. C. 1644. ter, Protector, & justitiæ vindex ge-
 mentibus Catholicis applaudere debuisset; hæc si fecisset, nonne ceteris primi Protestantes ipsimet Catholicis illulissent, dicentes. Hicne est Pontifex vester, qui filiorum curam negligit, Ecclesiam prodit, ipsius bona piratarum rapinis cedit, & suis ovibus lanam & pellem a lupis abstrahi gaudet: ita nempe, quicquid faciat Pontifex, apud Protestantes pessime audit, quia Pontifex est: Risum, an fletum teneatis amici? Postquam vero Urbanus VIII. fatis cesserat, ejus Successor Innocentius X. Fabium in eodem Legationis Apostolicæ munere confirmabat, ei que singulari sollicitudine commendabat, ne quid religioni Orthodoxæ, Personis, aut rebus Ecclesiasticis damni aut periculi inferri pateretur: Hanc in rem Papa sequentes eidem transmissit literas die quinta Octobris hoc anno Roma datas.

„Venerabilis Pater, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Apostolicum „fastigium, in quo Nos Spiritus Sanctus posuit, regere Ecclesiam Dei, „frequentissimas Christiani Orbis ærum- „nas Pontificia e specula ut continuo „prospiciamus, facit, iisque Nos adi- „git, quantum paterna nos charitas „sele

„sefe
 „inte
 „qu
 „tam
 „fun
 „men
 „mife
 „a Ne
 „tim
 „Pon
 „lior
 „nis
 „por
 „par
 „tua
 „pell
 „rum
 „pera
 „inge
 „inte
 „tute
 „rebr
 „instr
 „ficie
 „vide
 „& d
 „quil
 „qui
 „cum
 „jube
 „stab
 „detr
 „sele

„sefe effundit, ut mature avertendis Sæc. XVII.
 „intercurramus impensissima cura. Et A. C. 1644.
 „quidem bellorum turbines, qui to-
 „tam jam ferme Europam miserrime
 „funestant, tam vehementer nostram
 „mentem exagitant, ut in tantæ com-
 „miseratione calamitatis congruentes
 „a Nobis lacrimas acriter atque uber-
 „tim excutiant. Quidni vero tangant
 „Pontificium animum dissidentium fi-
 „liorum arma, quibus Christiani nomi-
 „nis hostes melius perirent; vocatam
 „porro ab hac Sancta Sede in hujus
 „partem sollicitudinis, Fraternitatem
 „tuam his nunc primum literis com-
 „pellamus, ut conciliandis Christiano-
 „rum Principum animis, cunctas in
 „peramplo isto *Monasteriensi Conventu*,
 „ingenii corporisque vires laboresque
 „intendat, seque ipsam, suasque vir-
 „tutes, quibus in magnis arduisque
 „rebus cum laude peragendis egregie
 „instructa est, alacriter in id opus con-
 „ficiendum advocet, satagens, præ-
 „vidensque in omni actione, patientia
 „& doctrina, publicæ jam tandem tran-
 „quillitati restituendæ. Hujus vero
 „qui largitor est omnipotens, suam ut
 „cum ea gloriam Nos enixe tueamur,
 „jubet, adeoque ut nullum ad bene
 „stabiliendam concordiam, Religioni
 „detrimentum, Romanæque Ecclesiæ
 G 2 „di-

Sæc. XVII. „dignitati paretur. Quamobrem id a
A. C. 1644. „Fraternitate tua omni ope exposcimus,
 „plane pro nostro Pastoralis munere man-
 „dantes, nihil ut in ipsa Pacis Confi-
 „rutione, quoad ejus per te sine omni
 „contentione fieri possit, decretum, fir-
 „matumque velis, quod divino cultui,
 „Christianæ fidei, atque Ecclesiasticæ
 „immunitati, periculum damnumve
 „conflare ullo modo possit: cautumque
 „his literis per Nos sit, ne ipse con-
 „stitutionibus hujusmodi vel minimum
 „assentiens, conniventiam his, & quo-
 „quo modo sensum aut præsentiam us-
 „quam adhibeas, quin & si opus fue-
 „rit, obsistas constanter, & repugnes,
 „teque adversantibus Ecclesiæ senten-
 „tiis impavide opponas, contesterisque
 „denuncies, edicas, operamque in id
 „omnem verbis & re, opportunam se-
 „rio ac fidenter impendas, ut, si ab
 „ipsa rei tractatione pariter te discedere
 „oportuerit, eo ipso pateat, ex æstuan-
 „te, ut par est, Apostolico Zelo, hu-
 „manas quascunque rationes Dei cau-
 „sæ omnino a Nobis posthaberi, eam-
 „que vel ipso pectoris aut vitæ objectu
 „defendendam ac vindicandam. Hæc
 „te omnia pro tua singulari pietate &
 „prudencia, maximaque in Nos & san-
 „ctam hanc Sedem obedientia, obse-
 „quentissimo studio impleturum confi-
 „dimus

„dimus, & Apostolica benedictione Sæc. XVII.
 „Fraternitatem tuam ex animo mu- A.C. 1644.
 „neramus. „

§. XXXVIII.

*Præviæ propositiones pro obtinenda
 pace a Gallis Suecisque discussæ.*

Convenerat inter Franciæ & Sueciæ Bougeant
 Legatos, ut circa ea, quæ in ple- Rel. Hist.
 no Principum confessu pro impetranda Bell. tric.
 pace proposituri essent, inter se prius tom. 2. l. 3.
 deliberarent: Ea ex causâ Servientius Letr. des
 Franciæ Orator Osnabrugam conten- Plenip. a
 dit, Suecorum articulos recogniturus. Mr. de
 Primo tamen horum aspectu obstupuit Brienne.
 Legatus, cum in ipsa hujus scripti præ- 13. Maij
 fatione a Suecis declarari cerneret, 1645.
 quod duntaxat ad ampliandam Prote-
 stantium sectam arma sumpserant, at-
 que ex octodecim articulis omnino sex
 ad excindendam Catholicam Religio-
 nem recta tendentes proposuissent: Ea-
 propter Servientius a Franciæ Regina
 jussus, Suecorum postulatis acriter sese
 opposuit, eisdem declarans, quod in
 primo nuperi foederis articulo Catho-
 licis suæ Religionis exercitio, & redi-
 tibus a moti belli tempore fruendi li-
 bertas fuisset asserta, atque unicuique
 usque præsentis belli obtentus fuisset
 Austriacæ potentiæ everfio, & oppres-
 forum

Sæc. XVII. forum Principum redintegratio, proin
A.C. 1644. hoc bellum mere esset politicum: si
autem adeo propalam velut unica moti
belli caussa, Calvinianæ & Lutheranæ
Religionis studium prætexeretur, fa-
cile Germani, Italique Principes arma
haud ultra in Cæsarem, sed in oppres-
sæ Religionis suæ hostes essent con-
versuri, exin vero Gallica Natio ob
ejusmodi foedus cum Protestantibus
initum non modo Romæ, sed apud
omnes Catholicos invidiam in se trans-
ferret, eo vel maxime, quod omnibus
compertum esset, Suecos cum Angliæ
Parlamento clam eo fine conspirare,
ut inito cum omnibus Protestantibus
foedere Scotica conventio effectui da-
retur, seu Catholica Religio ubique
extirparetur. Ad hæc Galli Oratoris
rationes Sueci reponebant, se unice
quieti & paci intendere, quam tamen
haud sperandam præviderent, nisi Pro-
testantium Religio in eundem statum,
quo a Bohemici tumultus exordio vi-
guisset, reponeretur. Nihilominus mul-
tis ultro citroque agitat, Sueci arti-
culos circa Religionem propositos ar-
dentius urgere distulerunt, eo fine, ut
Galli sub ipso pacificationis limine Re-
ligionis Catholicæ libertatem postulare
præpedirentur, & Sueci postmodum in
negotiationis progressu Protestantium
sectæ

sectæ eo potentius prospicere possent. Sæc. XVII.
Rebus ita compositis Franciæ Orator A.C. 1644.
 Suecos ad decennales inducias, nec-
 non ad bellum Hispanis denuntiandum
 inducere, incassum adlaborabat; spe
 ergo suâ frustratus Sueciæ Oratoribus
 referebat, quod Maximilianus Bavarix
 Elector Patrem Vervaux Jesuitam Pa-
 risios ablegarit, ut clam cum Gallia-
 rum Rege pacisceretur: indignantibus
 autem Suecis Servientius reposuit,
 quod hanc pacificationem haud ægre
 ferre possent, postquam Galli clande-
 stinam Suecorum cum Saxonibus ne-
 gotiationem dissimulassent, si vero sese
 Catholicis Principibus adeo infensos
 exhibere, diutius pergerent, sat lu-
 culenter testaturi essent, quod sensim
 sese a Gallorum amicitia segregare,
 odiumque suum erga Romanam Eccle-
 siam exerrere intenderent: Hoc re-
 sponso Sueci mitiores facti declararunt,
 se metuere, ne Bavarix Dux delusis
 Gallis, tempestatem sibi imminentem
 a suis ditionibus avertere moliretur,
 proin sat consultum foret, si hic mox
 milites suos exauctorare, atque in sin-
 ceritatis suæ pignus Ingolstadium, a-
 liaque loca Suecis cedere juberetur.

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

§. XXXIX.

Discordiæ inter Franciæ Oratores.

*Lett. de
Avaux a
Mr. Brienne
23. Maij.*

Paulopost Servientius Franciæ Orator Mazarinum Cardinalem, cujus consiliis unice regebatur, datis literis de rei gestæ serie certiolem reddebat: Displacuit tamen Regio Senatui, quod hic Orator Suecis inducias, atque inter ceteros articulos etiam hunc proposuerit, ut præprimis pro tollendis dissidiis ex Religionum diversitate exortis firma lex circa Religiones, & bona Ecclesiastica unanimi omnium consensu statueretur, cunctisque Imperii Principibus, ordinibusque ad recuperanda pristina jura auxiliares præberentur manus. Quoniam vero quidquid Servientio placebat, alteri Franciæ Oratori Avaussio Comiti displiceret, hic datis Parisios literis exposuit, e re Gallica haud esse, ut Religionis dissidia penitus tolerentur, eoquod partium dissensiones tranquillam hucusque occupatorum possessionem Gallis assererent, & spectato calamitoso Catholicorum statu Religio Romana absdubio damnum subitura esset, proin Galli aut Protestantium postulatis cum manifesto Religionis detrimento cedere, aut illorum invidiam in se accersere cogentur:

tur: aliunde vero annuentibus ipsis Pro-Sæc. XVII.
 testantibus Cæsar jamjam in Pragenſi A.C. 1644.
 pace Religionis diffidia composuiſſet:
 cum vero ſolis Imperii Principibus pro
 conſervanda Religione Catholica ſub-
 ditos ſuos aut ad ejurandam hæreſin,
 vel divenditis bonis ad emigrandum
 compellendi jus competeret, hinc ti-
 mendum fore aſebat Avauſſius, ne cun-
 ctis Principibus priſtina jura redinte-
 grandipotestate paſſim oblata, Prote-
 ſtantes idem ſibi jus vindicandi obten-
 tum quærerent, cum tamen Gallos in-
 ter & Suecos conventum eſſet, ut Re-
 ligionis negotia in ſtatu, quo ante bel-
 lum Gallo-Suecicum fuiſſent, relin-
 querentur. Tantum apud Regium Se-
 natum valere Avauſſi rationes, ut
 articulus de dirimendis Religionum dif-
 fidiiſ ſupprimeretur, eoquod ſat com-
 pertum eſſet, Suecorum molimina eo
 collimare, ut ſaltem alteram Paſſa-
 vienſem transactionem, ac demum ſuæ
 ſectæ magis adhuc proficua pacem,
 Catholicis penitus exſpoliatis extor-
 querent.

§. XL.

*Philippus Trevirenſis Elektor liber-
 tati reſtitutus.*

Tandem Galli Oratores die vigesima *Adam.*
 quarta Februarii pacis arbitriſ ſcri- *Adami relat.*
 ptum *Pac. Weſt.*

G 5

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

ptum quoddam tradidere, in quo ta-
men nondum articuli, quos velut fu-
turæ pacis fundamenta proponerent,
comprehensi fuere; duntaxat enim im-
pensius petebant, ut omnes Imperii
Ordines præcipue Gallis fœderati con-
vocarentur, & Elector Trevirensis li-
bertati redderetur: Hæc Gallorum po-
stulata minus æquitati, rationique con-
sona esse jam antea Cæsarei Oratores
demonstrabant, addebant tamen, quod
Cæsar esset procuraturus, ut quæcun-
que a suis Oratoribus fuissent agitata,
postmodum communi Ordinum assensu
firmarentur, vicissim vero Galli Orato-
res ea non a Rege solum, sed univer-
sis Franciæ Ordinibus confirmari cave-
rent, nomina quoque & conditiones
eorum, quos sibi *fœderatos* toties jacti-
tant, tandem designarent, ac specia-
tim exponerent, quænam illa sint, quæ
Franciæ Rex a Cæsare postulet? nisi
enim constet, quibus modis, & sub
quibus postulatis pax reddi valeat, de
reliquis privatorum diffidiis incassum
ageretur: Ad hæc vero responderunt
Galli, quod a Cæsare edoceri vellent,
an & quando Imperator omnibus Im-
perii Statibus ad hanc pacis negotiatio-
nem accedere indulisset, & utrum hi
jure suffragii sint potituri? denique Tre-
viren-

virenssem Electorem liberari aut saltem Sæc. XVII.
 ad locum tutum transferri, denuo pe- A. C. 1644.
 terent: Haud cunctanter Cæsarei Gal-
 lis reposuere, unanimi voto stabilitum
 „esse, ut in hoc conventu agitata Me-
 „diatoribus scriptotenus exhiberentur,
 „hacque ratione singulis constaret, quid-
 „nam postulatum, responsum, decisum-
 „que fuisset; superfluam autem esse
 „Gallorum sollicitudinem de suffragii
 „jure, cum Cæsar hoc jus nunquam
 „Ordinibus denegarit, perpetuam au-
 „tem esse in Imperii congressibus ob-
 „servantiam, ut Cæsarei Oratores caus-
 „sas ad consultandum proponerent, sin-
 „guli Ordines desuper auditis eorum
 „sententiis deliberarent, & quid sta-
 „tuendum, iisdem Legatis propone-
 „rent, & demum re mature discussa
 „Cæsar ea, quæ conclusa fuissent, exe-
 „cutioni daret, sufficere igitur. ut Or-
 „dines universi per usitatam legibusque
 „Imperii præscriptam deputationem,
 „qualis tamen adhucdum Francofor-
 „diæ continuaretur, interessent: sicut
 „vero penes Imperium non esset, Fran-
 „ciæ Ordinibus legem præscribere, ita
 „nec penes Gallos, Imperii ordinibus
 „comparendi modum legemque præfi-
 „gere: & ne deinceps difficultas desu-
 „per esset, nunc esse statutum, ut com-
 „munis Deputatio Francofordiæ subsi-
 „stens

Sæc. XVII. „stens in Westphalias transferretur;
A.C. 1644. „Gallos equidem semper Trevirensis
 „Electoris captivitatem velut moti in
 „Cæsarem belli causam jactitasse, quam-
 „vis eo etiam dimisso neutiquam arma
 „posituri essent; jam enim publica
 „constare fama, notumque esse Car-
 „dinalem Pighium Roma ad Cæ-
 „saris Oratorem perscripsisse, quod
 „Galli in mandatis haberent, ut hu-
 „jus captivitatis obtentu tractationem
 „negotii principalis haud diutius
 „protraherent, aliunde vero jam-
 „jam Cæsarem consensisse, ut primo
 „loco de Trevirensis liberatione age-
 „retur.,

Enimvero jam antea Mediatore
 cum Cæsareis & Electoralibus Legatis de
 præfato Electore tandem Vienna trans-
 ferendo agebant, atque inter ceteros
 Apostolicus Nuntius hunc Electorem
 Vienna Ferrariam transferendum, &
 summo Pontifici esse consignandum cen-
 sebat: id vero displicuit ceteris, imo
 ipse Innocentius Papa in hujusmodi
 translationem parum propendere vide-
 batur, qui tamen, cum Cæsarem ad
 illius liberationem reddendæ pacis stu-
 dio propensum comperiisset, datis ad
 Camillum Meltium Legatum suum
 Viennensem literis die vigesima Martii
 illum pristinae libertati restitui efflagi-
 tavit,

tavit, eoquod, inquiebat Pontifex, *neque Sæc. XVII.*
coram Nobis, neque coram Te contra ipsum A. C. 1644.
Philippum Christophorum Trevirensium Ar-
chiepiscopum & Electorem quicquam dedu-
ctum & probatum sit, propter quod ille
juxta Canonicas sanctiones retineri & cu-
stodiri debeat. Igitur petente Papa, &
instantibus Gallis Suecisque Imperator,
Electores ceteris, iplisque Cæsaris
Legatis id ignorantibus nec præmoni-
tis, hunc Archiepiscopum die decima
Aprilis a sua custodia, in qua decem
annis detinebatur, Vienna liberum
dimisit.

§. XLI.

Libertatis oblatae conditiones ab Archie-
piscopo Trevirensi promissæ.

Priusquam vero hic idem Archiepi- *Massen. An-*
 scopus atque Elector libertatem *nal. Trevir.*
 consequeretur, cum Ferdinando Cæ- *l. 25. p. 533.*
 sare arctioribus pacis conditionibus
 transigebat, hac de re die duodecima
 Aprilis edito hoc Cæsareo diplomate:
Ferdinandus III. Neo - Electus Rom.
Imperator &c. Postquam Reverendissi-
mus &c. Philippus Christophorus Elector
Trevirensis conclusa pacis Pragensis in om-
nibus punctis, clausulis & articulis denuo
pure acceptavit, Nobisque sub fide digni-
tatis & verbi sui Electoralis, juxta Re-
cessum

Sæc. XVII. cessum desuper erectum & sigillatum ad
 A. C. 1644. dixit, & promisit, quod in electionem no-
 stram Cæsaream, & quidquid illarum ra-
 tione Anno 1636. aliasque hucusque a re-
 liquis Dilectionis suæ Coelectoribus, colle-
 gialiter conclusum est, sine ulla disputa-
 tione consentiat, eique plene acquiescat,
 & ea omnino sequi velit; Castrum quo-
 que Ehrenbreitstein, pro nostro libitu &
 beneplacito necessario præsidio providen-
 dum, ad plenam usque compositionem belli
 Germanici, in nostris manibus relinquere;
 Philippiburgum vero modis omnibus e po-
 testate Gallorum eruere, atque pro nostra
 & Imperii utilitate & servitio ipse cu-
 stodire, contra Coelectores suos aliosque
 Principes & Status Imperii, eorumque
 confæderatos, sicut & Capitulares suos
 Trevirenses & Spirenses, & utriusque
 patriæ Status, Officiales, Consiliarios,
 subditos & ministros, neque etiam in ut-
 roque Archi- & Episcopatu Trevirensi &
 Spirensi, huiusque constitutos administra-
 tores, neque contra quemquam alium, cu-
 juscunque ille demum summi & infimi gra-
 dus sit, ratione eorum, quæ hucusque
 contra suam dilectionem ejusque adhaeren-
 tes acta sunt, aut gestæ in ejus absentia
 administrationis, & regiminis ergo, quo-
 quo modo vindicare, aut de eis sinistre
 ulterius cogitare; sed illa omnia cum
 omni causâ, omnibusque inde secutis per-
 petua

Sæc. XVII.
A. C. 1644.

petua oblivione sopire, atque ita omni-
modo servare velit, prout in pace Pra-
genſi, in puncto amniſtiæ ſancitum atque
conventum eſt. Præſertim autem contra
Præpoſitum ſuum Trevirenſem Joannem
Wilhelmum Huſman a Namedii, ejusque
nepotes, ſicut & fratres Barones de Met-
ternich, eorumque adhærentes, aliosque
quoscunque, ipſius Archi & Diœceſis con-
ſæderatos, & ſubditos, conceptam diſ-
gratiam, averſionem & proceſſus plane de-
ponere, illosque omnes in priori ſuo ſtatu
integre & ſine impedimento quiete perma-
nere & ſinere velit. Sic Nos ipſius D.
Archiepiſcopi Trevirenſis Dilectionem, his
ſub conditionibus, ad pacis Pragenſis con-
cluſa, adinſtar aliorum Electorum, Prin-
cipum & Statuum Imperii, ex gratia
Cæſarea admiſimus & ſuſcepimus, ipſique
clementer promiſimus, prout facimus vir-
tute præſentium, ſub fide Cæſareæ noſtræ
dignitatis & verbi, quod Nos Dilectio-
nem ſuam illis omnibus quiete frui, ipſam-
que ad præſentem Imperii deputationem
Francofurti, atque in ipſa pro parte no-
ſtra, ad ſeſſionem & votum, in Electo-
rum & Principum conſiliis, ratione
Archi- & diœceſium ejus libere & ſine
impedimento admitteremus. Similiter ad de-
centem ejus instantiam eum de regalibus
& ſæcularibus, prout moris eſt, clementer
inveſtiemus, ipſiusque Archi- & Diœceſi
privi-

Sæc. XVII. privilegia, prout juris & moris consue-
 A. C. 1644. mabimus, in eisque clementer defendemus,

Et manu tenebimus, curabimusque, ut in
civitate Trevirensi, Confluentia & Ha-
mersteinexistentia præsidia, quam primum
necessitas & imminens inimicorum pericu-
lum cessaverint, neque de eo quicquam am-
plius metuetur, educantur, suaque Dile-
ctio, ejusque ditiones & subditi ab eis
ulterius non graventur, neque impetantur:
neque pro parte nostra contra suam Dile-
ctionem, eique adhærentes, ratione eorum,
quæ inter Dilectum Parentem nostrum &
Dominum nostrum quondam Ferdinandum
II. Imperatorem in Deo beate quiescentem,
ipsiusque Electoris Dilectionem non satis a-
micæ forsan contigerunt, sinistre quicquam
recordabimur: sed omnia relinquemus, pro-
ut pax Pragensis in puncto Amnistia
fanciuit, in eoque erga suam Dilectionem
ejusque adhærentes, sicut cum aliis fidelibus
Electores, Principibus & Statibus ob-
servabimus; simulque clementer curabimus,
ut Dilectio sua cum omnibus suis Officiali-
bus, Consiliariis & Ministris, hinc Ratis-
bonam, & inde ad suas Archi- & diœ-
cesin secure perveniat.

His utrinque firmatis Cæsar die
 vigesima quinta Aprilis Archiepiscopo
 Regalia solemnī pompa contulit, eum-
 que amplis muneribus auctum navi &
 commeatu liberaliter indulto, datoque
 in

in honorarium itineris socium Barone de Bech, Francofurtum deduci iussit, inde Archiepiscopus post bimestrem moram die prima Septembris Confluentiam rediit, summo ubique honore exceptus.

æc. XVII.
A. C. 1645.

§. XLII.

*Pacis conditiones a Gallis Suecisque
consignatæ Cæsareis Oratoribus.*

Interim vero Bavarici, Moguntini, & Brandenburgici Oratores Monasterium adveniant, quos Henricus Aurelianensis Dux Longævillanus Gallicæ Legationis Princeps, ac demum Hispani Oratores Penneranda Comes & Zapata Comes necnon Didacus Savedra sequebantur. Adhuc dum Galli cum Cæsareis Oratoribus Monasterii circa varia postulata litigabant, id ægerrime ferentibus Catholicis Electorum Legatis, qui Gallis exprobabant, quod contemptis Mediatorum monitis hucusque de pacis componendæ mediis ne verbum quidem proposuissent, ac nonnisi iactato Regis ac Reginae suæ animo ad pacem propensissimo, re ipsa mentem a pace oppido alienam ostendissent, & nullatenus, prout tamen Christianissimos & Catholicos decuisset, Germaniæ, totiusque Reipublicæ Christianæ

Adami l. 6.

Bougeant

l. c. p. 284.

Vist. Siri

Merc. l. 2.

Barre Hist.

d'Allem.

t. 9. p. 791.

Hist. Eccles. Tom. LXI.

H

for-

Sæc. XVII. sortem miserti, immanem humani cruo-
A. C. 1645. ris effusionem, Religionis Catholicæ
 excidium, omniumque Europæ Re-
 gnorum ruinam promovere niterentur,
 & Suecos, eisque adhærentes ad
 tantam potentiam excrescere permitte-
 rent, ut ipsi etiam Galli illis impares
 futuri, Suecico servitutis jugo collum
 submittere cogerentur, præcipue cum
 Sueci jam palam jactitent, quod non
 modo intra biennium Papistas omnes
 Imperio eliminaturi, sed etiam Gallo-
 rum opem despecturi essent. Parum
 profecerunt hæc Legatorum monita;
 prævalebant enim Protestantes in West-
 phalia agentes, qui unice Religionis
 suæ, ut vocant, gravamina in hoc
 ipso pacis conventu discuti & componi
 cum Suecis conspirabant. Tandem
 vero dies undecima Junii proponendis
 pacis mediis præfixa illuxerat, qua
 Galli Oratores Monasterii & Sueci Os-
 nabrugæ conditiones, sub quibus pa-
 cem reduci posse, crederent, Mediatori-
 bus consignarunt, ut hæ ab illis, prout
 conventum erat, Cæsaris Oratoribus
 transmitterentur: Earum vero, quas
 Galli proposuerant, hæc erat summa:
 „Bellum utrinque, restituta amicitia
 „pristina, cesset: Cæsar sese bello Gallos
 „inter & Hispanos non immisceat, nec
 „Franciæ & Sueciæ hostibus opem fe-
 „rat:

„rat: perpetua sit & generalis omnium Sæc. XVII.
 „hostilium oblivio, qua omnes omnino A. C. 1645.
 „Imperii Ordines plene fruantur, &
 „cuncta in statum, quo anno Christi
 „millesimo sexcentesimo decimo octavo
 „fuerant, reponantur, omnesque Im-
 „perii Ordines pristinis suis juribus red-
 „dantur, & jure suffragii in omnibus
 „Imperii negotiis gaudeant, omnesque
 „Imperii, Bullæ Aureæ &c. leges ex-
 „acte ab omnibus servantur, nec vi-
 „vente Cæsare ad Romanorum Regis
 „electionem procedatur: utrinque capti-
 „vi sine lytro dimittantur: revocatis
 „vestigalibus recens institutis, liberum
 „sit commercium per Imperium; Gallis
 „& Suecis, Hassiæ Landgraviæ, cete-
 „risque foederatis pro sumptibus hoc
 „bello toleratis debita satisfactio, &
 „militum extraneorum, qui in illorum
 „exercitibus militarunt, compensatio
 „fiat & denique de restituendis locis ac
 „bonis necnon de militum exauctora-
 „tione nunc conveniatur.,

Ferme eadem circa belli cessatio-
 nem, pacisque revocationem, atque
 amnistiam proponebant Sueci, pete-
 bant tamen, ut etiam Calvinistæ, om-
 nesque Evangelici juxta pacem Reli-
 giosam restituantur, & in jurium pos-
 sessione ita firmentur, ut nullatenus
 inde dejici possent: cunctis quoque Im-
 perii

SÆC. XVII. perii Statibus fœdera cum exteris inire
A. C. 1645. liberum sit, quæcunque vero hætenus
inter Evangelicos & Catholico-Roma-
nos de pace Religionis, & bonis Ec-
clesiasticis motæ fuerint controversiæ,
eæ communibus utriusque partis con-
siliis operaque, simul in hoc tractatu,
absque ulteriori ad alios dilatione, a-
micis, æquis & Christianis modis ita
penitus, solideque componantur, ut
non duntaxat de vero, certoque intel-
lectu dictæ pacis religiosæ nullum am-
plius supersit dubium, sed & cetera ec-
clesiastica & politica gravamina, quæ
dictos Proceres tam diu ab invicem
distraxerunt, funditus extirpentur, nullo
bellorum semine relicto. Quinimo si
quæ in posterum de ejusmodi re dubia
exoriantur lites inter eos, ut omnis
evitetur occasio turbarum, nonnisi a-
micabili compositione ex æquo atque
bono communi expediantur.

Satisfactionem etiam Regibus, Re-
gnisque, militibus & fœderatis, necnon
Landgraviæ Hassiæ & Ragotsio ex æquo
& bono fieri petebant, ceteri autem
articuli idem cum Gallicis sub diverso
tamen verborum cortice complecteban-
tur. Hæc Gallorum, Suecorumque
postulata Cæsarei Oratores ambiguè,
atque ad fallendum aptis, suspectisque
verbis concepta censebant, eoquod non
fine

sine depressa Cæsaris auctoritate supre-
 ma, exterorum cognitioni, arbitrio &
 decisioni omnia pene Imperii jura sub-
 jicere, convulsoque Imperii Statu anar-
 chiam invehere, atque Electorum jus
 de eligendo Romanorum Rege evertere
 moliti essent, articulumque de præ-
 standi satisfactione amplis nimium ver-
 bis expressissent, atque insuper hisce
 postulatis, quæcunque voluerint, ad-
 dendi, vel immutandi facultatem sibi
 reservassent, proin negotiationis pro-
 gressu, quicquid novi postulare liberet,
 hoc ipsis licitum esset. Displicuit etiam
 Contarino Oratori, & Legatis Cæsa-
 reis, quod Galli triduo vix evoluto Ra-
 gotsium sub fœderati nomine ad hunc
 conventum esse admittendam postula-
 rent, cum tamen hic nec Imperii Prin-
 cept, nec eo tempore, quo Hambur-
 gensis conventio fuit habita, Gallis fœ-
 dere junctus fuisset. Præcipue vero
 Volmarus Cæsaris Orator vehementer
 declamabat adversus Suecorum auda-
 ciam, qua in suis postulatis haud ob-
 scure inter Imperii Ordines recenferi
 voluerunt, & abolita pace Pragensi,
 aliisque præviis tractationibus Religio-
 nem, & Imperium pessumdare, ipsos-
 que Calvinistas in hac pacificatione in-
 cludere machinabantur.

Sæc. XVII.
 A.C. 1645.

Sæc. XVII.
A.C. 1645.

§. XLIII.

*Contentio de modo deliberandi & de
admittendis ad hunc Conventum.*

*Maier Acta
pac. West.
t. I. p. 416.
& seqq.
Adami re-
lat. l. c.
Vid. §. 49.
p. 142.*

Interim Cæsareos in Bohemia a Sue-
cis, Gallos vero Mergenthemii a
Bavaris cæsos fuisse, fama percrebuit,
hac ipsa autem alternantis fortunæ vi-
cissitudine Mediatores impellebantur,
ut Gallo-Suecos ad belli inducias in-
clinare niterentur: Verum Galli illatam
cladem reparandi, Sueci autem victo-
riæ felicitatem latius protendendi spe
sopiti. Mediatorum consiliis surdas
præbebant aures: Acrior autem erat
disceptatio, dum de modo consultandi
ageretur: quamvis enim Cæsarei Ora-
tores usitatam hucusque deliberandi,
decidendique normam observari pete-
rent, vi cuius accedente Electorum
suffragio ad Cæsarem pacis arbitrium
transferebatur, aut saltem, prout in
præsenti pacis negotio Cæsar indulse-
rat, in Francofordiensi Deputatorum
conventu nunc Monasterium evocato,
sub Moguntini Electoris directione a
Principum, Statuumque Deputatis de
rei summa consultaretur, eorumque
sententia postmodum ipsis Statibus com-
municata, demum a Cæsare rati habe-
retur, nihilominus Sueci, ceterique

Pro-

Protestantes omnes sese Deputatorum Sæc. XVII.
 arbitrio subicere, totis viribus dene- A. C. 1645.
 garunt, petentes, ut singuli Principes,
 Status, imo etiam liberæ Imperii urbes
 ad tractatum pacis *cum voto & suffra-*
gio admitterentur, proin universalia
 hæc comitia ex Electoribus, Principi-
 bus simul & Urbibus tanquam tribus
Curatis Collegiis coalescerent, in iis-
 que viritim suum quilibet Status *decisi-*
um ferret suffragium. Id nimis impor-
 tune postulabant Protestantes, non alio
 ex fine, nisi ut hac ratione Cæsareæ
 approbationis necessitatem eluderent,
 sicque partem quamdam Imperatoris
 auctoritati detraherent, simulque cum
 ceteris Principibus & Urbibus, quarum
 potissimæ erant A catholicæ, Electoribus
 & Catholicis Principibus suffragiorum
 numero prævalere possent: Eapropter
 Protestantes, atque inter eos præcipue
 Brandenburgicus Orator adversus Mo-
 guntinum, ut vocant, Directorium di-
 vulgato scripto rem ardentius urgebat,
 potissimum ea ex causa, quod *pro ex-*
traordinariis Imperii morbis extraordina-
ria adhibenda essent remedia, atque in
 hoc pacis conventu negotia, a quibus
 libertas, prærogativa, fama, honor,
 & temporalis, æternaque singulorum
 Statuum salus dependeret, pertra-
 ctanda essent, proin singulorum quo-

Sæc. XVII. que suffragia expetenda. Enimvero
A. C. 1645. Cæsaris Legati, atque Electorum ple-
 rique se novis hisce ausibus opponebant;
 mox tamen Protestantes privato magis
 quæstui, quam communi Imperii bono
 diserti, in querulas voces erumpunt,
 Ordines suo suffragio per nefas privari,
 Statuumque libertatem opprimi crimi-
 nantur, ac minis etiam detonant, Or-
 dines sibi alium Dominum quæsituros,
 eoquod Cæsar absolutum sibi Domi-
 nium arrogare intenderet: Cum vero
 Cæsaris Oratores Protestantium perti-
 naciam nimis annosam rationum effi-
 cacia distringi posse desperarent, veriti,
 ne Acatholici per pacem Pragensem
 Cæsari reconciliati ad Suecos palam
 desciscerent, cedere coacti sunt: No-
 vebatur postmodum alia difficultas,
 qua ratione singuli Ordines *simul* Mona-
 sterii & Osnabrugæ præsentem esse pos-
 sent, tandem vero post crebras alter-
 cationes decusum, ut utrobique idem
 deliberationis argumentum eodem tem-
 pore pertractaretur, & utrinque agitata
 per internuntios mutuo communica-
 rentur: si vero Monasterienses ab Os-
 nabruganis discreparent, parti utrique
 aut Monasterii aut Osnabrugæ, alter-
 natim conveniendum foret, atque per
 tria Collegia consultandum, & acce-
 dente Cæsareo consensu conclusum Im-
 perii

perii efformandum esset. Ceterum a Sæc. XVII.
jure suffragii adhuc exclusos censabant A. C. 1645.

Cæsaris Legati, ac Principes Catholici præprimis Hassio - Casselanum Landgravium, Durlacensem, & Nassovio-Sarepontanum Comitem, eoquod adhuc armati hostibus Cæsaris & Imperii juncti essent. Pariter a suffragio arcerere volebant Magdeburgicum Administratorem Saxonix Electoris Filium, eoquod Sede nondum vacante electus, ob reservatum Ecclesiasticum obtinendi Episcopatus incapax, ac nonnisi ea lege Cæsari reconciliatus esset, ut a Sessione & suffragio abstineret. Nihilominus Protestantium importunitate conventum, ut & hi certis sub conditionibus admitterentur, nominatim, ut Legatus Magdeburgicus transverso scamno federet, & post Austriacum, Bavarum & Burgundum sententiam, salvo Catholicorum jure, diceret, donec hæc lis in comitiis decideretur.

§. XLIV.

Responsum Cæsaris ad Gallorum, Suecorumque propositiones.

Interim die trigesima Junii Longævillanus Dux Gallicæ Legationis Princeps Monasterium urbem ingressus, ingens pacis desiderium jactitabat, &

Maier l. c. pdg. 500. Lettr. du Comt. d'Avaux.

H 5

una-

Sæc. XVII. unacum Suecis pro Cæsareo responso
A.C. 1645 ad oblatas propositiones summa vehe-
 mentia instabat, quibus tamen a Cæ-
 saris Oratoribus haud dissimulanter ob-
 jectum, quod ipsimet nova semper pa-
 cis obstacula objicerent, & nunc de
 titulis disceptantes, nunc pro Transyl-
 vano, foederatis & foederandis, aper-
 tis Imperii hostibus, incapacibusque Ec-
 clesiarum Administratoribus suffragandi
 facultatem peterent, ac demum de
 modo & forma consultandi altercan-
 tes, nunc Statuum conjunctionem,
 mox eorum separationem postularent.
 Nihilominus Franciæ Legati per omnia
 Sacra contestabantur, quod eorum Rex
 nil ardentius, quam pacem exoptaret:
 hac occasione utebantur Mediatores,
 ut de ipsâ rei summa apertius cum eis
 agerent, atque declararent, Cæsareis
 Oratoribus displicere, quod I. adden-
 di, demendi, mutandique, quicquid
 vel ipsis vel eorum foederatis visum pos-
 hac foret, jus sibi reservassent, hanc
 que clausulam sat captiosam addidis-
 sent. II. Præsentis tractatus securitati
 provideri petierint, cum tamen per
 solemnem actorum confirmationem
 juxta Imperii leges sat cautum foret.
 III. Satisfactionem terminis oppido ge-
 neralibus peterent, & qualem deside-
 rarent, non exprimerent. Ad hæc
 vero

vero responderunt Galli, se hac clau- Sæc. XVII.
A.C. 1645.
fula nequaquam ad cavillationes, vel
dissolvendam, aut protelandam pacis
negotiationem, minus vero in Catho-
licorum præjudicium abusuros: secu-
ritatis autem petitione nil aliud inten-
dere, nisi ut omnes Germaniæ Princi-
pes tractatus executionem ita urgere
tenerentur, ut in contravenientes arma
sumere cogerentur, denique se circa
hunc articulum Cæsareis satisfacturos,
quamprimum hi ad eorum propositio-
nes responsum suum dedissent. Præ-
cipue vero Galli in Metensis, Tullen-
sis, & Virodunensis Episcopatum pos-
sessione firmari, simulque superiorem
& inferiorem Alsatiæ, Bensfeldiam,
Brisaccum, Philippopolin & Montanas
urbes, sibi relinqui exoptabant, non
sine indignatione Suecorum, qui quam-
vis a Gallis, ut junctis consiliis circa
satisfactionis mutuæ modum delibera-
rent, invitati fuissent, nunquam tamen
mentem suam desuper aperuerunt; in-
stantibus autem Gallis Oxenstirnius tan-
dem respondit, *Suecorum æque ac Gallorum
satisfactionem in eo esse reponendam, ut
Germana libertas restituatur, Proscripti
revocentur* quo dicto mox ser-
monem abruptit, absdubio tamen, ut
Avausius Franciæ Legatus scribit, hæc
adhuc addere voluit: *ut Protestantes in*
tran-

Sæc. XVII *tranquilla bonorum Ecclesiasticorum possessione relinquuntur, eorumque Religio propagetur, & Catholici opprimantur: Nec temere id conjectabat Avausius; quippe Salvius Sueciæ Orator jam antea in privato colloquio, an non Protestantium sectam e Regno eliminare, ere Gallici Regis esset, ex eodem Avausio sciscitatus, indicare voluit, quod vicissim Suecorum re foret, Catholicam Religionem e Germania extirpare. Ita nempe apud Protestantes cuncta belli pactisque consilia unice ad opprimendos Catholicos collimabant.*

Tandem vero die vigesima quinta Mensis Septembris Electorum, omniumque Principum Deputati in Episcopali Palatio Monasterii, & in Curia Osnabrugensi eo fine convenerant, ut Cæsaris responsa ad Gallorum, Suecorumque propositiones data exciperent, ac desuper deliberarent. Ibidem Cæsar Gallorum articulos de pace, belli mutui fine, plena amnistia, captivis sine lytro utrinque reddendis, de commerciis restituendis, & militibus exauctorandis ratos habuit; circa petitam vero pacis firmitatem Cæsar se nihil intermissurum pollicitus est, ut pax utrinque firma sit, postquam Franciæ Legati circa eandem securitatem clarius sese explicaverint: insuper hac pace
semel

semel cum Hispanis conclusa, Cæsar, Sæc. XVII.
 se bellis, quæ inter Gallos & Hispa- A. C. 1645.
 nos oriri possent, nec Franciæ nec Sue-
 ciæ hostibus opem laturum spondebat,
 salvis tamen Imperii Constitutionibus,
 & juribus Hispano ex transactione Bur-
 gundica competentibus: vicissim vero
 sancitum est, ut Gallus non se immisceat
 bellis inter Cæsarem & Suecos oritu-
 ris, nec assistat Cæsaris, Imperii, Re-
 gisque Catholici hostibus. Declaravit *De An. 1641.*
 quoque Cæsar, quod restitutio fiat in *die 20. Aug.*
 eum statum, quo ante bellum hoc Gal-
 licum res fuerint, exceptis, quæ in
 recessibus Imperii Ratisbonæ aliter sunt
 conventa. Ad articulum de rebus Im-
 perii pertractandis responderunt Cæsa-
 rei Oratores, id quidem ad Imperato-
 rem & Status pertinere, consentire ta-
 men Cæsarem, ut omnes Status de e-
 jusmodi rebus imposterum cum jure
 suffragii non aliter, nisi in *universalibus*
 comitiis agant, salvis Imperatoris &
 Electorum juribus, & antiquo more
 in Imperio recepto: declarabant præ-
 terea Cæsaris Legati, quod postulatum
de non eligendo Romanorum Rege, vivente
 Imperatore, juribus Imperii, & liber-
 tati Electorum adversetur, Cæsarque
 ad nullam satisfactionem Gallis obstrin-
 gatur, sed potius omnia tam sibi, quam
 fœderatis, & nominatim Lotharingio
 erepta

Sæc. XVII. erepta præprimis restitui petat: de cæ
 A. C. 1645. tero autem Galli ante pacis conclusio-
 nem nominarent, quos utralibet pars
 in ea velit comprehensos.

Ferme eadem Cæsarei Oratores ad
 Suecorum postulata responderunt, con-
 cesseruntque, ut Religionis pace etiam
 Calvinistæ fruantur, *si velint, & quieti
 vivant*: circa controversias autem hæ-
 stenus inter Catholicos & Ptotestantes
 de pace Religionis; & bonis Ecclesia-
 sticis motas pollicebantur Legati, eas
 communibus utriusque partis consiliis
 in præsentī tractatu absque mora esse
 componendas, cetera vero tam Eccle-
 siastica, quam politica gravamina fun-
 ditus extirpanda: denique declararunt,
 se non alium Lusitanæ Regem agno-
 scere, quam Regem Catholicum, ad
 quem etiam negotium de liberando E-
 duardo Bragantini Fratre remisere;
 Principem vero Transylvaniæ ad Status
 Imperii Suecis fœderatos non pertine-
 re deciderunt. Tantam Cæsaris indul-
 gentiam mirabantur ipsimet Cæsaris
 hostes, & Protestantes, quin eam imi-
 tari cogitarent.

§. XLV.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.*Protestantium Legatorum cavillationes circa Gallicas propositiones, Cæsareasque responsiones.*

Hæc responsa Cæsaris Legati Fabio Chisio Papæ Nuntio & Contarino Veneto, qui Mediatores, seu pacis arbitri erant, tradidere, ut hi cum Gallicis Suecisque Oratoribus desuper conferrent, eorumque mentem explorarent. Præprimis Galli carpebant, quod Cæsar ab Hispani Regis & Lotharingæ Ducis patrocinio non desistere videretur; dein ipsam quoque Cæsaris indulgentiam reprehendebant, eo quod ad Protestantium importunitatem, ut eorum favorem aucuparetur, & Gallos ab eis averteret, *de Religionis gravaminibus* in hoc conventu agi consensisset, cum tamen Galli hunc articulum in suis propositionibus studiose silentio preflissent, ratum fixumque habentes, *potius cum Hispanis, Austriacisque contra hæreticos arma jungere, quam hac in parte Protestantibus cedere, & in Religionis Catholicæ excidium consentire.* Verum Galli, ut observat Adamus Adami, ita locuti sunt apud Catholicos, ut Cæsari inviam conflarent, clam vero Protestantibus animum addidere. Interea Protestan-

Adami rel.
Hist. arcan.
P. IV.
Meirn. Act.
pacs W. t. I.
l. 7. §. 21.
Bougeant
l. c. lib. 4.
§. 39.

Sæc. XVII. testantes Osnabrugæ congregati gravi-
A.C. 1645. ter querebantur adversus Cæsaris re-
 sponsiones, quamvis quidam Sueciæ
 Legatus in genere palamque fassus esset,
 Cæsaris declarationem sua spe longe
 benigniorem fuisse, proin de ejus in-
 dulgentia quoad cetera, ac demum de
 ipsa pace haud ultra dubitandum. Ni-
 hilominus carpebant, quod Cæsar belli
 originem ab anno hujus sæculi trigesi-
 mo ducat, cum tamen illud a motibus
 Bohemiæ anno 1618. inchoatum fuerit,
 proin petebant, ut ab hoc anno pacis ne-
 gotium & restitutio bonorum immobi-
 lium (mobilia enim ablata & destructa
 utrinque essent condonanda) repetatur,
 Bohemis quoque, Silesiis, & Moravis
 privilegia *in literis Majestatis* concessa, sal-
 va in Ecclesiasticis jurisdictione, relin-
 quantur: Cæsar vero se bellis Hispani-
 cis non immisceat, proin omittantur
 ea, quæ de transactione Burgundica
 fuerunt inserta. Postea antiquam suam
 næniam innovabant Sueci contra Im-
 periale Judicium Aulicum, & came-
 rale, abrogatisque Rotwilano, Provin-
 ciali Sueviæ, & Præfecturæ Hagenoen-
 sis judiciis, quatuor suprema per Impe-
 rium tribunalia erigi, atque in his As-
 sessores & Judices ex utraque religio-
 ne, pari numero præfici postulabant. Ma-
 gis autem impotenti furore debaccha-
 bantur,

bantur adversus reservatum Ecclesia-
 sticum, quod aboleri, & Episcopos, a-
 liosque Prælatos Protestantes ad Re-
 galia, Sessiones, aliaque jura admitti
 postulabant, jam immemores, quod
 Lutherani in Imperio, secta sua adhuc
 in cunis vagiente, de surripiendis Ec-
 clesiasticorum bonis, utpote quæ a
 solis Catholicis omni jure & tempore
 possidebantur, ne cogitarint quidem,
 sed beneficii loco habuerint, quod in
 Romano Imperio tolerarentur, atque
 ab ejusdem Imperii banno tuti essent;
 postquam vero auctis viribus cristas e-
 rigere, atque Saxonix Electore ac
 Philippo Hassiæ Landgravio classicum
 canentibus, arma adversus Cæsarem,
 Catholicosque, erecto Smalcaldico fœ-
 dere sumere ausi sunt, Ecclesiasticorum
 bona suffurari cæperint: Quid ergo
 magis æquitati consonum erat, quam
 quod ea bona, quæ unice Romanæ
 Ecclesiæ semper erant, & a Catholi-
 cis pro Catholicæ Religionis exercitiis
 fuerunt fundata, Præsules &c. ad se-
 ctam deficientes amitterent; quocirca
 Ferdinandus I. Imperator clausulam re-
 servati Ecclesiastici, insuperhabita Pro-
 testantium tergiversatione, paci Reli-
 giosæ inseri voluit, declarans, quod
 talis Præsul Apostata quidem suas Præ-
 bendas, non tamen nominis existima-
 tur;

Sæc. XVII.
 A. C. 1645.

Hist. Eccles. Tom. LXI.

I

tio-

Sæc. XVII. tionem amittat, nec hæretici infamia
A. C. 1645. notari valeat.

Præterea querebantur, quod Domini territoriales Catholici subditos Protestantés noluerint tolerare, sed omne Religionis exercitium ipsis interdixerint, cum tamen jus sacrorum, nec non jus religionem reformandi a jure territoriali dependeat, ac cujus sit Religio, illius etiam sit Religio: qua autem ratione Sueci conqueri poterant adversus Dominos territoriales, qui in sua regione Protestantés non tolerarunt? si enim *Catholici* Principis est Religio, utique illius etiam debuit esse Religio, nisi fateri velint, quod solis Protestantibus in ipsorum ditionibus sectam Lutheranam imperare, non autem Catholicis Catholicam, solisque Præfultibus Catholicis ad Lutheranos deficientibus Præbendam retinere, non autem Episcopis Lutheranis ad Catholicam fidem revertentibus, id integrum sit: Deum varia proponebant gravamina, suppressis studiose illis, quæ ipsi antea Catholicis longe acerbius imposuere, quocirca Catholici ad Protestantium gravamina responderunt, & vicissim his alia multum graviora opposuere, ut anno sequenti memorabimus.

Nunquam tamen manifestius Protestantés suum in Catholicos odium prode-

prodebant, quam dum de admittendis Calvinistis agebatur: quamvis enim Lutherani & Calvinistæ mutua sese aversione in hanc usque diem corrodant, & Lutherani illos nec *orthodoxos*, nec *Evangelicos* aut *Christianos*, vel *Reformatos*, sed rectius *Sacramentarios*, & *Zwinglio-Calvinianos* appellandos esse censeant, ac propterea Protestantes Osnabrugæ congregati præcipue Saxonum Legati illos in pacis Westphalicæ consortium admittere recusarent, nihilominus, quia & ipsi sese Catholicis opponunt, quamvis & ipsi Lutheranorum dogmata impugnent, illos tamen admiscere, Suecis Annam & Caipham conciliantibus præclara hac sententia: Pontificios fuisse usque huc communes omnium Evangelicorum hostes, quocunque appellentur nomine; Reformatos etiam **COMMUNEM CAUSSAM CONTRA PONTIFICIOS** una propugnasse: ergo injustum fore, eos Pontificiorum injuriis profiteri, legum præfidiis destitutos: sed & injustum fore, Reformatos ita tutos facere, ut fidei Lutheranæ domesticos insequi, & finibus suis ejicere possint. Eapropter, immemores tamen principalis suæ Regulæ: Cujus est Regio, illius etiam est Religio, peculiari articulo Lutherani contra Calvinistas circajus reformandi statuendum censebant, ut si Princeps, vel

Sæc. XVII.

A. C. 1645.

Vid. dissert.

Mich. Wal-

ther. anno

1631.

Sæc. XVII. alius territorii Dominus, aut alicujus
A. C. 1645. Ecclesiæ Patronus ad Calvini sectam
 transierit, Lutheranos in sua ditione
 toleret, nec ad suam sectam cogat, nec
 Calvinianos Præcones eis obtrudat.

§. XLVI.

*Gallorum, Suecorumque querelæ
 Catholicis, Cæsareisque Ora-
 toribus dilutæ.*

*Adam. l. c.
 Vid. supra
 l. 100. §. 7.
 t. 60. p. 490.*

Tandem ad Suecorum, Gallorumque
 importunitatem Cæsar die decima
 Octobris generalem, ut vocant, Am-
 nestiam promulgavit; quoniam vero
 Protestantes nil nisi sacra Catholico-
 rum bona, & oppressa Cæsaris aucto-
 ritas arrideret, etiam hoc illius diplo-
 ma eis displicuit; causabantur enim,
 hanc amnestiam a Ratisbonensi haud
 ab similem, variis restrictionibus, ex-
 ceptionibusque limitatam esse. Ho-
 rum querelis pro more suffragabantur
 Sueciæ, & Franciæ Oratores, hanc
 que amnestiam auri scorix comparan-
 tes, illam dolis suffultam, novique belli
 classicum potius esse, quam aptum con-
 ciliandæ pacis medium asserabant, eo
 quod non ad annum hujus sæculi de-
 cimum octavum, sed trigessimum in
 politicis, in Ecclesiasticis vero ad vige-
 simum septimum restringeretur, infra
 quo

quos tamen annos multa emerfissent Sæc. XVII.
A.C. 1645.
gravamina, quibus remedium adhibere oporteret. Insuperhabita tamen Gallorum repugnantia hoc diploma Monasterii palam Cæsaris jussu affixum est; Osnabrugæ vero Sueci, Cæsaris mandata flocci habere jam assueti, Magistratum, ut hoc edictum in urbe promulgari prohiberet, adegerunt, & Protestantes Legatos inducere, ut amplio-rem amnestiam a Cæsare extorquere niterentur.

Recruduit quoque cavillatio Gallorum, qui ob indultam gravaminum, quæ Religionem concernunt, discussionem, Cæsarem de occulta cum Protestantibus consensione perperam convitiabantur. Verum non modo Cæsarei Legati, sed ceteri quoque Principes Catholici tantam calumniam indignati, palam Gallis exprobrabant, eorum cum „Protestantibus societatem unicam esse „causam oppressæ avitæ in Imperio „Romano fidei, & ob quam afflictæ Catholici in eas essent redacti angustias, „ut in compositionem gravaminum con- „descendere (forsan omnino ad Confessionistarum arbitrium) cogantur. Ipsos „etiam Gallos postulasse, ut ad statum „anni 1618. omnia reducerentur in gratiam Protestantium, magno Ecclesiæ „& Religionis orthodoxæ damno; quin
I 3. „ipfi-

Sæc. XVII. „ipsimet compositionem gravaminum
A. C. 1645. „religionis in præsentī Tractatu non ex-
 „optasse modo, sed ejus insuper rei
 „caussa Articulum suis inseruisse pro-
 „positionibus, adhuc legendum, nisi
 „Nuncius Apostolicus eum expunctum
 „cupiisset. Quare aut temere similia
 „proferri a Gallis, aut ea solum inten-
 „tione effundi, quod optassent, ut Cæ-
 „sarem, resistendo votis Suecorum &
 „Protestantium, iisdem semper magis
 „in dies redderent exosum, fomitemque
 „dissidiorum in Imperio relinquendo,
 „renitentia sua Tractatum cursum si-
 „stere atque impedire possent. Num-
 „quid enim (sic arguebant Catholici)
 „si tam eximii Religionis Zelotæ au-
 „diri amant Galli, occasio ipsis defuit
 „Catholicos juvandi? quando non de-
 „erat commoditas ipsos infestandi? Non
 „impugnent Catholicos, & erunt ad-
 „jumento, non assistant saltem hetero-
 „doxis, & orthodoxos propugnabunt,
 „an non vero & in ipso super grava-
 „minibus congressu mille erunt occasio-
 „nes, Catholicos ab insultibus Confes-
 „sionistarum protegendi? an assistere
 „volent? cum non venitur ad pugnam,
 „& quando pugnatur, fugere, deserere,
 „negligere? nunquid latissimum habi-
 „turi sunt bene merendi campum,
 „quando de satisfactionibus, quæ ex Ec-
 „cle-

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

„clesiasticis ipsorummetve Catholico-
 „rum bonis pro Confessionistis tribue-
 „rentur, tractabitur? ullumne exstat
 „exemplum, ubi catholici Galli contra
 „Confessionistas, ne dicatur, Archi-
 „Episcopatum aut Episcopatum inte-
 „grum, sed vel unicum solum modo
 „Cœnobium, Templum, Sacellum,
 „Altare, vel Calicem vindicarint? Nonne
 „extant eorum fœdera, quorum vigore
 „in Confessionistarum potestatem innu-
 „meræ transcriptæ Ecclesiæ, & am-
 „plissimæ Catholicorum ditiones? An
 „occultam adeo suam instructionem
 „credunt Galli Plenipotentarii, ut exi-
 „stiment Catholicos latere, primum
 „maximum ipsorum esse mandatum,
 „ne offendant Fœderatos, id est, Prote-
 „stantes; quomodo igitur a fœdere se
 „recessuros, aut contra fœderatos pro
 „Catholicis pugnatu-ros, proloquun-
 „tur? Gallica sunt ista, Germanorum
 „germanam fidem longissime transcen-
 „dentia. „ Ita tunc Catholici.

Nihilominus exeunte hoc anno Sal-
 vius quoque Sueciæ Orator cum Vol-
 maro Cæsareo Legato Monasterii col-
 locutus, bilem suam contra Cæsarem
 evomere studuit, asserens, „quod in
 „hæreditariis Ferdinandi Provinciis sub-
 „diti Protestantes Religionis suæ liber-
 „tatem pecuniis emere compulsi, nihilo

Sæc. XVII. „tamen minus in exilium detrufi, &
A. C. 1645. „ab amnestiæ beneficio etiam illi, qui
 „sub Suecorum signis militarunt, ex-
 „cludantur: Insuper etiam publica ef-
 „fet omnium querela, quod Domus Au-
 „striaca potentiam suam nimium ex-
 „tendere conetur, dum Bohemiæ Re-
 „gnum, quod tamen electivum esse,
 „Bohemi affirmant, hæreditarium fe-
 „cit, bellicque Bohemici sine Ordinum
 „consilio suscepti causa exstitit: „ Ve-
 rum hæc calumnias Volmarus so-
 lide confutabat, Sueco roponens, de
 emptione libertatis nihil constare: pul-
 sos vero Protestantes ob rebellionem &
 illatum Cæsari bellum, promotis etiam
 usque ad Viennæ mœnia castris: quid
 aliud, inferiorem etiam Principem,
 tali in rebellionem facturum? Protestan-
 tes Principes, nulla ejusmodi causa
 interveniente, Catholicos, sæculorum
 possessione firmatos, e ditionibus suis
 exegisse, ipsosque Suecos neminem ex
 Catholicis in regno suo tolerare. Num
 Regi Hungariæ, Bohemiæ &c. Archi-
 duci &c. in hæreditariis suis provinciis
 non sit integrum, quod alii in ditioni-
 bus suis fas esse sibi existimant? spe-
 rare proin Cæsarem, neminem sibi hæc
 in re leges dictaturum. Bohemiæ re-
 gnum esse hæreditarium, non alios ne-
 gare, nisi eos, qui Ferdinando II. co-
 ronam

ronam detrahere conabantur, reliquo-
 rum neminem jus hæreditarium voca-
 re in dubium: nullum vero unquam ex
 domo Austriaca Imperatorem bellum
 suscepisse nomine Imperii absque con-
 silio Statuum. Ferdinandum II. etiam
 bellum mere defensivum gessisse, cum
 constet palam, quam violenter a Fri-
 derico Palatino sit appetitus. Cum Pra-
 gensi victoria id finem fuisse consecutu-
 rum, nisi *Unio* in Imperio se miscuif-
 set, unusque status post alterum novos
 motus concitasset; quo rerum articulo
 Cæsarem copias aliquas auxiliares mi-
 sisse in Borussiam, non, ut Sueciæ bel-
 lum faceret, sed ut affinem & finiti-
 mum Regem adjuvaret.

Sæc. XVII.
 A. C. 1645.

Vid. supra
 l. 200. p. 491.
 tom. 60.

§. XLVII.

*Cæsarei in Bohemia a Suecis
 profligati.*

Dum interea crebris altercationibus
 in Monasteriensi conventu pax re-
 tardabatur, Sueci in castris haud fe-
 riabantur; quippe Torstenfonius die
 decima nona Februarii trajecto Egra
 amne totam Bohemiam subacturus jam-
 jam ad Taborem urbem castra locave-
 rat. Cognito autem per exploratores,
 quod hostis haud procul Janckovio con-
 sisteret, quantocius jussu Cæsaris, qui

*Adl. r. An-
 nal. Boic.
 part. 3. l. 30.
 Brachel. hist.
 temp. l. 6.
 Piafec.
 comm.
 pag. 522.
 Nani Hist.
 Ven. t. 2. l. 2.*

Sæc. XVII. tum Pragæ agebat, Hatzfeldius Co-
A.C. 1645. mes Cæsareo - Bavaricis copiis instru-
 ctus, obviam hosti progreditur; nec
 Torstensonius pugnæ copiam respuit,
 instructisque ordinibus in dexteram
 Cæsareorum alam movet: mox vero
 Gøtzius cum Cæsareo equitatu collem,
 in quem hostis tendebat, occupaturus,
 improvido prorsus consilio campum
 explicandæ aciei incapacem insidet,
 ingensque periculum, ne ab opposito
 hostium agmine includeretur, subit:
 Enimvero Hatzfeldius laboranti pro-
 perat auxilia, ast Sueci jamjam a fron-
 te & tergo Cæsareos urgent, commis-
 soque prælio Gøtzium in arcto prehensum
 fundunt, ac fugere nescium truci-
 cidant: Gøtziani Equites a ceteris ab-
 rupti, adhucdum ubicunque alium alii
 fors miscuerat, strenue dimicant, tan-
 dem Hatzfeldii copiis juncti, insequen-
 tem hostem retundunt, ereptis eidem
 sexdecim vexillis, & aliquot signis e-
 questribus: Nec tamen animo concide-
 ns Torstensonius in Cæsareos nuper
 profligatos vehementius urget, eosque
 in fugam egisset, nisi Hatzfeldiani Equi-
 tes calcaribus subditis Suecicas legio-
 nes repulissent: inde vero acuebatur
 pugnandi aviditas, atque Cæsarei pe-
 dices, qui in lævo cornu erant, jam-
 jam ad ipsa hostium tormenta penetra-
 verant.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

verant, non sine magna victoriæ fiducia; quippe in medium Suecorum undique circumfusi, cominus tam strenue pugnabant, ut acie in pagum, ubi ante statio prætoria erat, flexa hostem ex proximo monte, amissis sarcinis, bellicæ tormentis propellerent: Verum intempestiva diripiendi spoliū cupiditas victoribus palmam e manibus extorsit; Sueci enim, cum Cæsareos sine lege ad prædam discurrisse compererant, restaurato prælio in pedites ab Equitatu destitutos tota vi incumbunt, confusisque ordinibus in fugam agunt, dexteramque Cæsareorum alam post pertinax certamen magna clade fundunt, Suecisque victoriæ palmam cedunt, quæ tamen iisdem haud incruenta erat, desideratis suorum plusquam bis mille, atque ex iis Reuschio & Sechstertio Tribunis & non paucis minoris dignitatis Ductoribus. Cecidere e Cæsarianis præter Goetsium Comes de Waldek, & tres alii Tribuni, ex gregariis vero tria circiter millia; ipse etiam Hatzfeldius, quamvis per hostium cuneos jamjam sibi viam gladio aperuisset, a duobus tamen decurionibus in sylva deprehensus, unacum Tribunorum primoribus, & maxima parte Equitatus in Suecorum potestatem venit. Percepta hac clade Cæsar Praga
Vien-

Sæc. XVII. Viennam, Imperatrix vero cum tota
 A. C. 1645. Nobilitate Græcium contendit: Tor-
 stensonius interim rapido cursu totam
 Moraviam nemine jam resistente, sub-
 egit, & Olmuzium obsidione liberavit:
 inde Brinnam munitissimum Moraviae
 propugnaculum longa, sed inutili, ir-
 ritaque obsidione pressit, quam ad quar-
 tum Mensem jamjam protractam, post-
 quam longe majorem suorum stragem,
 quam si justa acie dimicasset, passus e-
 rat, non sine ignominia, animique
 mœrore solvere coactus est, ac paulo-
 post excusata valetudine, militare exer-
 citus imperium posuit, semetipsum ni-
 mis sero incusans, quod cum Bohe-
 miam Silesiam & Moraviam ingenti ce-
 leritate percurrisset, circa muros unius
 Urbis irrita conatu hæserit, maxima-
 rum rerum opportunitate dimissa.

§. XLVIII.

Sueci e Bohemia a Cæsareis ejecti.

Barre Hist.
d'Allem. t. 9.
pag. 782.

Hujus victoriæ successu tumidi tripu-
 diabant Sueci, jamque ex præ-
 senti felicitate futuram Austriacæ Do-
 mus ruinam præcoce fiducia sibi præ-
 sagientes, in Monasteriensi Conventu
 duriores præscripserant conditiones:
 Verum fatali admodum rudimento ex-
 periri cgebantur, quanta facilitate in-
 con-

constans fortuna optimas spes evertat, Sæc. XVII. A.C. 1645.
illumque non raro, cui paulo ante ini-
mica fuit, inopino favore extollat: cum
enim Ragotius Transylvaniæ Princeps
cum Cæsare pacem iniret, & Torsten-
sonius Brinnanæ obsidioni longius in-
sisteret, Cæsar vires reparandi spatium
nactus, novum exercitum hosti oppo-
suit, ac præprimis ductore Pompeio
Suecos Steina, atque Insula Cremsio
adsita expulit, Leopoldus vero Archi-
dux, cui Cæsar supremum exercitus
imperium commiserat, hostem a Danu-
biano ponte prope Viennam dejecit,
omnibus, qui propugnaculum ibidem
erectum tuebantur, captis, ac Vien-
nam abductis: Postea armis in Bohe-
miam versis, sociatisque cum Saxone
copiis Suecos e toto prope regno in Si-
lesiam retrocedere coegit.

§. XLIX.

*Galli a Cæsareo-Bavaris iterata clade
protriti.*

Ad prosperam hanc Leopoldi expedi- Adler. An-
tionem haud parum contulerant nat. Boic.
præviæ Gallorum clades; postquam part. 3. l. 30.
Mercius, qui cum Bavarorum agmine §. 18.
sele Cæsareis junxerat, Gallo-Vina- Barre l. c.
rienses haud procul a Francofordia sub- Lit. Maxim.
sistere compererat, cum exigua suorum ad Mercium
manu 1. Jan. h-
anno.

SÆC. XVII. manu hostem adoritur, atque in totum
A. C. 1645. agmen quadripartita caterva inuectus,
 ordines turbat, metuque confusos multa
 cæde in fugam agit: paulopost Mercio
 nuntiatum, Gallos in Wirtenbergen-
 sem Ducatum, ut equitatum suum ju-
 mentis destitutum, abactis inde equis
 restaurarent, magno numero excurrisse:
 confestim igitur Mercius signa ad
 Rhenum convertit, ut intercluso Gal-
 lis Philippiburgi receptu, eos vel ad
 pugnam adigeret, vel inde repelleret:
 Tempestive autem Galli comperto Mer-
 cii adventu Fortzheimium, indeque
 Brettheimium sese recepere; instat ta-
 men Mercius fugientium tergis, captis-
 que Gallorum non paucis Rosam Du-
 ctorem cum suo agmine Rhenum denuo
 trajicere compellit. Prælia hæc e-
 rant luculentæ cladis, quam Gallis ad
 Herbsthufium non procul Mergenthei-
 mio Mercius intulit: postquam enim
 strenuus hic Bellidux per exploratores
 suos intellexerat, quod Turrenius Gal-
 lo-Vinariensis exercitus Ductor, Janc-
 kavienfi victoria tumidus, atque im-
 provida securitatis fiducia sopitus, non
 sine magno hostis contemptu legiones
 suas hinc inde ad Tubarum flumen di-
 sperfasteneret, mox Mercius acceptam
 nuper cladem vindicaturus, Bavaras
 copias die tertia Maij motis Feucht-
 wanga

wang
 duxit
 Tur
 fat t
 pedit
 marg
 cat:
 mo c
 vam
 acri
 vit,
 fudit
 duce
 Bav
 ut d
 fium
 fato
 aut
 posse
 Gall
 exer
 anci
 gere
 fuor
 ter
 tem
 Bav
 cata
 cum
 e r
 fuu
 leg

wanga

wanga castris summo silentio in Gallos Sæc. XVII.
A.C. 1645.
duxit: comperto autem hostis adventu

Turrenius aliquot catervas loco edito, fat tamen iniquo, in aciem explicat, peditum vero legiones partim ad Sylvæ marginem, partim in ipsa Sylva collocat: Dies erat quinta Maij, qua primo diluculo Mercius dispositis ad Sylvam tormentis in Gallicum peditatum acri impetu invecus, eundem loco movit, turbatisque ordinibus perculsos fudit: Fugiant illi qua securitatis spes ducebat, quos tamen tanta celeritate Bavari, rusticis immixti insequuntur, ut dispersæ hostium legiones Herbsthufium, quo sese colligere iussæ erant, aut fato plurimorum cædem maturante, aut imperii immemores attingere haud possent: Adhuc dum tamen in lævo Gallorum cornu, quod Turrenius cum exercitus sui robore tuebatur, longe ancipiti fortuna utriusque partis res gerebatur: Turrenius enim cum omni suorum equitatu in hostem vehementer irrupit, horrendamque globorum tempestatem effudit. Jamjam dextera Bavarorum ala primo impetu proculcata erat, ipsaque nutare cæperat victoria, cum Joannes de Werth Bavaris palmam e manibus eripi indignatus, universum suum equitatum cum aliquot peditum legionibus in Gallos effundit, laxatosque

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

que ordines invadit, & multa hostium
cæde repellit: atrox utrinque commit-
titur prælium, laxantur denuo Gallo-
rum ordines, mox vero restaurati con-
firmatis animis pugnam redintegrant;
sed ex hac ipsa dimicandi pertinacia
Bavaris crevit Gallos vincendi aviditas,
eosque tentato novo impetu jam non sen-
sim, sed citato gradu retrocedere com-
pellunt, & necquiquam fugæ, nisi quod
terga nondum vertissent, deerat: tan-
dem vero Bavari in medium Gallorum
agmen investi, toto peditatu protrito,
equitatum cum ingenti clade in fugam
agunt: Eques pedesque confusi, Tur-
renio fuga jam elapso, & Rosa altero
Duce capto, armatis inermes, inte-
gris debiles implicantur, unoque simul
interitu miscentur: duæ etiam equitum
phalanges, quæ prælio abfuerant, a
Bavaris cinctæ, maximam partem pro-
fligantur: Ceterum de certo cæsorum
deletorumque hostium numero constare
haud valuit, inde tamen clades æsti-
mari poterit, quod universi Gallici exer-
citus reliquiæ vix æquaverint mille
quingentos equites: Capti fuere ex su-
premis belli Præfectis præter Rosam
Schmidbergius, Mettius & Passagius
unacum septuaginta novem Tribunis,
centum quatuor minoris dignitatis Du-
ctoribus, & his mille quingentis gre-
gariis

gariis
cesser
appan
Bava
deside
fuga
varici
gurgi
capti
sui e
recep

Sub
pa
stres
ut K
agmi
junge
non
reni
Eng
ment
tune
inqu
supr
par
lium
Haff
lersta
Haff

gariis. Victoribus in gloriæ trophæum Sæc. XVII.
cessere quinquaginta vexilla, totus belli A.C. 1645.
apparatus, cunctaque tormenta: Ex
Bavaricis non plusquam trecenti fuere
desiderati. Præterea ex Gallis, quos
fuga abstulerat, multi a Cæsareo - Ba-
varicis obtruncati, alii tranato Mœno
gurgitibus hausti, alii variis in locis
capti fuere: Turrenius vero cum laceri
sui exercitus reliquiis in Hassiam sese
recepit.

§. L.

Mercius in prælio trucidatus.

Subidem ferme tempus Dani cum Suecis
pacem, hi vero cum Saxonibus seme- *Baulieu Con-*
stres inibant inducias; unde accidit, *quet. de*
ut Königsmarchius, qui cum Sueco *Louis XIV.*
agmine Saxoniam invaserat, Gallis sese *t. i. l'an.*
jungere valeret, hisque suppetiis, nec *1645.*
non Hassiæ copiis auctus Comes Tur-
renius suum repararet exercitum, quem
Enguienus Dux novo etiam supple-
mento ex Galliis adducto tam oppor-
tune auxerat, ut vel ad Danubium,
inque ipsam Bavariam penetrando, aut
supremam pugnæ aleam experiundo
par esset. Nec tamen Gallorum consi-
lium effugerat vigilantiam Mercii, qui
Hassios ab Amœneburgi, & Gallos Wil-
lerstadii obsidione repulit, promotisque
Hist. Eccles. Tom. LXI. K. Din-

Sæc. XVII. Dinckelspilam castris hostem, quem in
A. C. 1645. Durwagensi sylva consistere compererat,
colle e regione occupato die prima Au-
gusti laceßere cæpit. Vicem reposuit
Enguienus, ac impetu in Allerheimium
facto Bavaros, flamma tectis injecta,
statione sua deturbare incassum molie-
batur; Bavari enim ne latum quidem
unquem cedentes, non sine luculenta
strage Gallos repulere, occupataque
Templi cujusdam Turri in hostem con-
tinuam scloporum procellam detona-
runt, successu tamen nunquam satis
deplorando; cujusdam enim Bavari
militis incuria ipsemet Mercius secur-
dum cervicem infauſta pila trajectus
occubuit, & Gleenus instaurato cer-
tamine a Gallis captus est. Franci,
sublato jam utroque Stratego, animo-
siores facti, tentata nova aggressione
Allerheimium occupare nituntur, a
Rauschenbergio tamen, qui in Bava-
rorum opem accurrerat, cum ingenti
strage repulsi. Eadem felicitate Joa-
nes de Werth equites suos in dextram
Gallorum alam torquens, quicquid ho-
stiliū legionum adhuc in acie stabat,
confusis ordinibus dejecit, egitque in
effusam fugam: vicissim vero Turrenius
dextrum Bavarorum cornu acie per-
rupta evertit, quo tamen restituto ad
feram usque vesperam magna utrinque
virtu-

virtute, victoria ancipiti, majore ta- Sæc. XVII.
A.C. 1645.
men Gallorum quam Bavarorum strage
dimicatum est, Bavaris absdubio trium-
phum canentibus, nisi nox ingruens
minus plenam victoriam reddidisset, &
Mercius Heros sui ævi clarissimus in
prospero dimicationis æstu occubisset.
Amissa sunt a Bavaris vexilla undecim,
a Gallis septuaginta unacum quatuor-
decim belli tormentis, totoque belli
apparatu, qui in dextro hostium cor-
nu erat. Cecidere in hoc prælio Gal-
lorum circiter sex millia, in quibus erant
plusquam quindecim præcipuæ nobili-
tatis dignitatisque Viri: Inter captos
numerabantur Grammontius Franciæ
Marescallus, Marchio Castræus, plu-
rimique alii: ipsemet quoque Enguie-
nus Dux præter plures alios secundum
brachium & femur vulneratus est. Nec
Bavaris incruenta erat victoria; duo
enim ferme millia inter occisos, mul-
tique, & quidem ferme omnes, qui
in cæmeterio fortissime pugnabant,
capti abstrahabantur. Post hoc præ-
lium Enguienus Dux Nordlingam &
Dinckelspilam deditione cepit, Turre-
nius vero Hailbrunam incassum obsedit,
Gallisque in hiberna recedentibus Ba-
vari Wimpfenam, Dinckelspilam, &
Rotenburgum recuperarunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

§. LI.

*Hispanorum clades in Catalonia, &
Belgio.*

*Ferrer. contin. Hist.
Hisp. tom. 13. cap. 2.
Brachel. hist. temp. p. 319.*

Eodem adhuc anno Galli in Catalonia acceptam a Cæsareo - Bavaris cladem egregie vindicaverant; Arcurtius enim Comes, quem Franciæ Rex Pro-Regem Cataloniæ nominaverat, occupata Rosa insigni portu apud Mare Gallicum, Sicorim flumen, vadum monstrante quodam Sacerdote Catalono, cum omnibus copiis trajecit, occupatisque variis minoris momenti propugnaculis Hispanos aggressus, eos commisso prælio die vigesima prima Junii profligavit. Captus erat Marchio Mortara Bellidux longa militia effertus, & ducenti ordinum Ductores, plerique omnes ex prima Hispanorum nobilitate: ipse etiam Andreas Cantelmo supremus Hispani exercitus Imperator ægre cum potissima Equitum parte Blaguerium profugere poterat, quem tamen Harcurtius insequens, expugnato propugnaculo, & præsidiariorum tribus millibus Fontarabiam dimissis Flixium usque repulit, ac demum hoc etiam munimentum captis Hispanorum mille ducentis expugnavit; ulteriorem vero victoriæ cursum sistebat conjura-

tio Barcinonensium, quorum quidam Sæc. XVII.
A. C. 1645.
hanc metropolin pristino suo Regi re-
stituere, incassum tamen, moliebantur. Auspiciatior erat Hispanis fortuna contra Lusitanos, quos expugnata Olivenza arce magna clade deleverunt; vicissim vero Hulstium in Belgio Hollandi Hispanis, & Galli Mottam in Lotharingia Carolo Duci eripuerant.

§. LII.

Trevirensis civitas a Gallis oppugnata.

Postquam Philippus Christophorus Tre- Bougeant
Hist. tric.¹
bell. tom. 2.
l. 3. §. 92.
Massen. An-
nal. Trev.
l. 25. §. 81.
virensis Archiepiscopus & Elector
a Cæsare libertati redditus, die prima
Septembris Confluentiam advenerat,
ibidem ad medium usque Novembrem
subsistens, datis ad Turrenium Gallici
exercitus Ductorem literis, eundem
sollicitabat, ut adducto Gallorum, Has-
forumque agmine Trevirenssem urbem
vi armata occuparet, Hispanosque in-
de propelleret: Sub idem quoque tem-
pus Hugonem ab Eltz, & Joannem
Anethanum Cancellarium Legatos Mo-
nasterium decrevit, ut Franciæ Lega-
tos de continuata Electoris cum Gal-
lis amicitia & fœdere certiores redde-
rent. Comperto enim, quem Elector
cum Cæsare erexerat, tractatu, ipsius

Sæc. XVII. fides Gallis suspecta erat: quocirca Antonvillam ad eundem ablegabant, qui
 A. C. 1645 Electoris mentem exploraret, peteret-
 que, ut Gallicis copiis hibernandi facultatem in suis Provinciis concederet. Deprecabatur quidem Elector hibernorum facultatem, prætexta suarum ditionum devastatione: palam vero adversus pactum cum Cæsare initum, utpote hostium suorum violentia extortum reclamabat, declarans, se nihil ardentius percupere, nisi ut Gallorum copię in vicinia ad omnes necessitatis casus paratæ castra ponerent, simulque Lotharingicos milites ab infestis excursionibus arcerent. Explorato Electoris animo mox Turrenius cum valido agmine Trevirensē urbem cinxit. Inexpectata erat civibus hæc violentia; quocirca Oratores suos ad Turrenium ablegant, qui triduanas deposcerent inducias, vimque deprecarentur, eo potissimum nomine, quod jam Monasterii cum Franciæ Legato, & Pennaranda Hispano Oratore conventum esset, ut Comes de Laverna Urbis Gubernator cum Hispano milite Trevis ultro excederet, dummodo Urbs nullo Gallorum præsidio firmaretur, & ipsemet Elector suo duntaxat instructus milite, quem sibi sacramento obstrinxisset, Urbis portis accederet. Nihilominus

minus tamen Turrenius hostili sub ve- Sæc. XVII.
 speram aggressionem in urbem ad S. Mar- A. C. 1645.
 tinum omni vi irrumpere conabatur:
 Exin vero Hispanus Gubernator cives
 cum Gallis colludere suspicatus, Magi-
 stratum ad fidem Hispano Regi servan-
 dam rursus juramento adigere statuit,
 eo autem renuente Urbis prætorium
 valido agmine cingi jussit: Nulla mora
 fit populi concursatio, armatique præ-
 torium infestant, depulsisque Hispanis
 Magistratum libertati reddentes, rur-
 sus ad Turrenium quosdam ablegant,
 qui sponderent, se biduo nondum ex-
 acto, Hispanum militem urbe ejectu-
 ros, dummodo Gallicus obsidionis fu-
 ror cessaret. Verum Turrenius horum
 preces nil moratus, mœnia tormentis
 quater haud destitit, vastaturus uni-
 versa, nisi egregia civium militumque
 virtute repulsus fuisset. Tandem vero
 Hispanus Gubernator obsidionis impe-
 tum sustinendo impar ex mandato Mar-
 chionis de Castrorodrigo Belgii Præ-
 fectionis cum Magistratu de deditio-
 ne agere cœpit, convenitque, ut uterque Hi-
 spanus, Gallicusque miles urbe & Pa-
 tria excederet, atque Elector suo dun-
 taxat milite præsidario uteretur: Co-
 gnito hoc pacto Elector a Gallis, ut ab
 obsidione abstinerent, a civibus vero
 obtinuit, ut bis mille recens conductos

Sæc. XVII. intra mœnia reciperent: Ea lege Ele-
A C. 1645 ctor die decima octava Novembris urbi
 accessit, cui ad Pontis portam obvius
 Gubernator claves Hispani Regis no-
 mine obtulit, quas tamen ille eidem re-
 stituit, postridie tamen rursus ab eo-
 dem recepit, moxque urbe egressus,
 ut se solis Gallis sui reditus beneficium
 in acceptis referre, palam ostenderet,
 ad Turrenii castra divertit, atque ab
 eodem comitantibus Franciæ Proceri-
 bus suum in Palatium postliminio re-
 ductus est: Altera die Gubernator cum
 Hispanis per civitatem, pontemque in
 adversam Lucemburgici Ducatus oram
 transiit, Galli vero per urbem in hospi-
 tia sunt distributi, alii proximis insede-
 runt Monasteriis, Religiosis plerisque
 sibi fuga consulentibus: Interea Elector
 ad coercendos cives, Gallicumque
 præsidium in urbe firmandum propu-
 gnacula erigere meditabatur: ne ta-
 men pactis Cæsareis, Hispanisque a-
 perte refragari videretur, Germanum
 militem, Galliarum tamen Regi jura-
 mento obstrictum, in urbe detinuit,
 Gallico exercitu sub finem Decembris
 patria excedere permisso.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

§. LIII.

*Creta a Turcis invasa, & Canea ab
illis expugnata.*

Eadem tempestate gravissimum quo-
que Venetis bellum ab Ibrahimo I.
Turcarum Imperatore illatum est, cu-
jus vera origo a clade, quam Marinus
Capellus Venetæ classis Præfectus Pi-
ratarum navibus in Adriatico mari ante
paucos annos intulerat, repetenda est:
ne vero Turcæ damnum Veneto auro
jam compensatum nova ultione refri-
casse crederentur, hujus belli obten-
tum quærebant ex nupera clade sibi a
Melitenensibus illata: Explorabant hi an-
no priori, vicinam oram legere plura na-
vigia Christianis mancipiis, militibus
Turcis & belli tormentis instructissima,
quibus Zambul Aga Eunuchus Turcici
Palatii Custos cum tota sua familia
Mecham ad Mahometem Prophetam
suum peregrinaturus vehebatur: Hanc
classem adoriuntur Melitenenses, totoque
impetu in majora Turcarum navigia
converso, post acerrimum octo horarum
certamen Zambuli prætoria potiun-
tur, trecentis octoginta Turcis, qua
trucidatis, qua captis, & quinquaginta
Græcis a dira Turcarum servitute libe-
ratis: parta hac victoria Melitenenses de

*Nan. Hist.
Venet. l. 2.
tom. 2.
Priol. lib. 2.
pag. 70.
Piasc. chron. p. 522.*

K 5

opi-

Sæc. XVII. opima præda ovantes cum suis triremibus, captaque prætoria Cyteram Venetæ ditionis portum appellunt, captata ventorum opportunitate Melitam remigaturi. Accepto hujus jacturæ nuntio Ibraimus Imperator in rabiem actus, Franciæ, Angliæ, Hollandiæ, & Venetæ Reipublicæ Oratores adesse, eosque de spoliatis navibus, trucidatis captisque Turcis rationem reddere jussit. Cum vero hi nec sibi, nec suis Principibus ullam cum Melitenensibus societatem esse prætexerent, Imperator se totum iræ impetum in hanc Insulam effusurum minitabatur; reipsa tamen horrendam Venetis tempestatem intentabat: ut autem hi eo certius securitatis fiducia sopiti, a parando bello abstinerent, ex Imperatoris mandato Vezirius, atque ex supremo Turcico Senatu præcipui interposita etiam juramenti Religione Joanni Soranzo Oratori Veneto declararunt, hunc belli apparatus nequaquam in rempublicam ferri, eoque fine Constantinopoli bellum Mense Martio adversus Melitenses publice denuntiarunt: Attamen Venetis sat compertum erat, quod Turcarum juramenta a latente fallacia tutelam, securitatemque adeo non præstarent, ut etiam perfidiæ executionem perjurii beneficio magis expeditam

peditam reddere solerent, hinc Veneti Sæc. XVII.
 Cretæ viginti, & Venetiis triginta duo A. C. 1645.
 majoris molis navigia instrui, milites-
 que Cretam deduci jusserunt: Insuper
 a summo Pontifice ac Christianis Prin-
 cipibus adversus tam potentem, totque
 victoriis tumidum hostem suppetias con-
 quirebant. Contarinus quoque Lega-
 tus, qui Monasterii pacis colloquio in-
 tererat, ceteros Principum Oratores
 ad accelerandam concordiam potenter
 urgebat, ut sua arma non jam in Chri-
 stianos, sed Turcas Christiani nominis
 hostes convertere possent: Verum ab
 eis nonnisi amplas pollicitationes, va-
 nasque spes retulit, & quamvis Galli
 iterato profiterentur, quod eodem mo-
 mento, quo bellum in Germania cum
 decore conficere poterint, nulla mora
 in Turcas omnem armorum molem in
 Turcas effusuri essent, nihilominus Car-
 dinalis Mazarinus palam & passim in-
 simulabatur, quod ipsemet Turcas ad-
 versus Papam, Cæsarem & Venetos
 excitarit: Ut ut autem res se habuerit,
 id omnino certum est, quod Selitanes
 Turcicæ classis Architalassus ineunte
 Mense Junio cum octoginta majoribus
 navigiis, & plusquam trecentis trire-
 mibus, & quinquaginta armatorum
 millibus Navarinum Moreæ urbem ap-
 pulsus, ut Venetos falleret, Cretense
 mare

Bougeant
Hist. Bell.
trac. l. 4.
tom. 2.
 §. 25. p. 451.

Sæc. XVII. mare prætervectus fuerit, simulato aut
A. C. 1645. Melitam, aut Siciliam versus itinere:
 Verum repente transverso classis cursu
 Cretensem Insulam exscensione facta
 hostiliter invasit, allatoque Constanti-
 nopolin nuntio mox Imperator Vene-
 tum Oratorem custodiæ mancipari ius-
 sit, certum denuntiati belli argumen-
 tum. Nondum Cretenses hostilem Tur-
 carum animum exploraverant, minus
 vero ad defensionem comparati erant,
 cum jamjam Ottomanicæ classis Præ-
 fectus propugnaculum scopulo, cui a
 S. Theodoro nomen, vicinum expugna-
 set, non tamen sine suorum cæde;
 quippe Blasius Justiniani hujus arcis
 Gubernator, cum Turcas turmatim in
 primum murorum ambitum stricto ense
 irruere cerneret, ac nonnisi sexaginta
 quinque præfidiarios haberet, propria
 manipuli pyrio ignem admovit, una-
 cum hoste in aera raptatus: Hac suo-
 rum clade exacerbatos Selitanes Ca-
 neam Cretensis Insulæ celebrem cum
 portu munito civitatem terra marique
 obsidere statuit, eamque post acerri-
 mam quinquaginta sex dierum oppu-
 gnationem tandem die decima nona
 Augusti deditione cepit, desideratis suo-
 rum prope decem millibus. Ex præfi-
 diariis Venetis occubuere præter tres
 primæ Nobilitatis Viros centum viginti,
 fauciis

sauciis centum octoginta: ceteri cum Sæc. XVII.
 armis & farcinis tam suis quam Vene- A. C. 1645.
 torum cymbis Sudam transferebantur,
 quo etiam Episcopus, Moniales, &
 vasa Sacra fuere deportata; Ecclesiis
 etiam, Monasteriis, & utriusque ritus
 Ecclesiasticis inviolata immunitas, nec-
 non sua Nobilibus privilegia, intacta
 relinquebantur, civibusque vel abeundi,
 suæque bona vendendi, vel remanendi,
 iisque libere fruendi facultas data est.
 Tam honestarum conditionum facilita-
 tem promovebat præconcepta Sudam,
 universamque Insulam sine Ottomani
 sanguinis profusione occupandi spes,
 ac fiducia.

§. LIV.

*Uladislai Poloniæ Regis consilium de
 habendo colloquio inter Catholi-
 cos & Sæctarios.*

Ab eo tempore, quo Lutheri ac Cal- *Acta Publ.*
 vini festæ Poloniæ Regnum infece- *Thorun. Coll.*
 rat, doctrinæ diversitas animorum quo- *Calov. Hist.*
 que concordiam sustulit, mutuamque *Syner. Dia-*
 odium inde exortum innumeras pene *lysis Hulssem.*
 turbas, seditiones, cædes & intestina
 bella in Regno progerminavit, lucu-
 lento admodum testimonio, quod nova
 ejusmodi sæctariorum dogmata Christi
 Evangelio, quod pacem, charitatem-
 que

Sæc. XVII. que inspirat, adversentur. Hisce ca-
A. C. 1645 lamitatibus metam positurus Uladis-
 laus IV. Poloniæ Rex, doctrinæ unio-
 nem, qualis ante exortas hæreses per
 plura sæcula floruit, revocandi consi-
 lium cepit, ac propterea inter Catho-
 licos, Lutheranos & Calvinistas paci-
 ficum haberi voluit colloquium, si-
 mulque, ut disputationum æstum mo-
 deratio temperaret, præcepit, ut de
 quæstionibus controversis non disputa-
 retur, sed per theses & antitheses op-
 posita litigantium partium dogmata di-
 scuterentur, hacque ratione, a cujus
 parte veritas militaret, fraterno judi-
 cio decideretur; inde hoc colloquium
 vulgo *fraterna collatio*, vel *Colloquium*
charitativum appellari consueverat. Pla-
 cuit summopere pium hoc Regis con-
 siliium Poloniæ Episcopis, qui anno hu-
 jus sæculi quadragesimo tertio Varso-
 viæ Provinciam habuerunt Synodum,
 in qua ejusmodi conventum Thorunii
 in Prussia Polonica die decima Octobris
 anno sequenti habendum indixere. Hanc
 in rem Mathias Lubienskius Gnesnen-
 sis Archiepiscopus ad omnes in rebus
 fidei ab Ecclesia Catholica diffidentes
 Synodalem promulgabat epistolam, in
 qua eos ad *amicum congressum*, & *fra-*
ternam reconciliationem invitabat, polli-
 citus, præstituta die ac loco Georgium
 Tyft-

Tyſtkiewicum Samogitiæ Episcopum, Sæc. XVII.
 Præfulem mansuetiſſimum, ac futuri A. C. 1645.
 colloquii Præſidem, necnon alios duo-
 decim Viros doctrina & modestia con-
 ſpicuos adfuturos, qui ſingulari animi
 mansuetudine in ſpiritu lenitatis ſine
 clamoris altercationibus, ſecluſis etiam
 aculeis, aut cujuſcunque offenſione,
 cum omnibus ab Eccleſia Catholica
 diſſidentibus ſermones habituri, veri-
 tatemque nonniſi ex Sacris literis, pri-
 mitivæ Eccleſiæ, Patrumque testi-
 moniis demonſtraturi ſint: Hanc Synodi
 Epistolam ſequēbatur Regium quoque
 diploma ejusdem ferme tenoris. Per-
 lectis hiſce epistolis Calvinistæ deſuper
 deliberaturi, Orlæ conventum habue-
 re, in quo tamen ſpectata utriusque
 partis pertinacia, & innato ſuo Catho-
 licæ veritati obluctandi ſtudio de ſelici
 concordie ſucceſſu deſperarunt, mo-
 rem vero Regi ſuo geſturi, ne ante
 congreſſum de cauſſæ ſuæ juſtitia diſſi-
 dere viderentur, ad Regis, Synodique
 literas reſponderunt, ſe ad Colloquium
 venturos, petere tamen, ut ob nimis
 anguſtum terminum, intra quem ſeſe
 præparare haud poſſent, hujus collo-
 quii initium ad aliud tñpus differre-
 tur. Annuit eorum votis Uladislauſ,
 & conventum ad vigefimam octavam
 Auguſti diem hujus anni diſtulit, in-
 terea

Sæc. XVII. A.C. 1645. terea vero Tyskiewicz colloquii Præses rursus dissidentes invitabat, transmissis ad eos literis, in quibus inter alia exposuit, *Protestantes utique huic colloquio adfuturos, ut docerent, & comprobatum redderent, quo animo illi animas diversarum Nationum & Regionum pretioso Christi Sanguine redemptas falsis, perversisque suis dogmatibus a vera, Sancta, & Catholico-Romana Ecclesia abducant, & ad barathrum detrudant &c.*

Præterea Lutherani, quorum numerus tum in Polonia non adeo frequens erat, habito Lesnensi conventu a Saxonie Electore in subsidium sibi submitti petebant Joannem Hülsmanum in Scholastica disputandi methodo Præconem versatissimum, qui etiam ab Electore submissus, præsidium Lutherane partis sibi vindicavit, titulumque *Admodum Reverendi* sibi attribui postulavit. Calvinistæ autem Georgium Calixtum secta Lutheranum Helmstadio evocarunt, non tam ut suarum esset partium, quam ut consilia suppeditaret conjungendis Lutheranis & Calvinistis idonea. Obtenta Electoris venia hic idem Calixtus mox ad Joannem Bergium, qui Electori Brandenburgico a concionibus, die decima quinta Julii, literas dederat, in quibus suam operam Calvinistis promptissimo animo

offerens, petiit, ut dissidia inter ipsos *Sæc. XVII.*
Protestantes prius componerentur, quam hi *A. C. 1645.*
cum Catholicis congregiantur, cum Wor-
matiense Colloquium anno superioris sæculi
quingagesimo septimo habitum ideo fuerit
dissolutum, quia Protestantes, quibuscum
agendum erat, inter se non convenissent:
cum autem ad hoc colloquium Lutherani
& Calvinistæ JUNCTIM sint vocati,
secundus sperari poterit successus, præ-
sertim si consensus sit in iis, de quibus cum
Pontificiis controversiæ intercedunt, si au-
tem, pergebat Calixtus, conjunctio Pro-
testantium citra communem consensum præ-
cipiatur, motus est novi schismatis, &
periculum quoddam certum. Qui enim a
conjunctioe sunt alieniores, reliquos, qui
eam probarent, & inirent, palam procul-
dubio condemnaturi, & a suo consortio
remoturi essent: postea Calixtus inter
ipsos Præcones Lutheranos dissidia fer-
vere indicabat, hæc subjungens: A
qualibet condemnatione vix tuti sumus, qui
in hac Academia moderationem sectamur,
& amplectimur; propter hanc ipsam Theo-
logis alterius vicinæ Academicæ invisi, in
omnes occasiones carpendi & obtrectandi
intentis. Præter hanc epistolam idem
Calixtus die decima sexta Septembris
ad Georgium Osselinskium Legatum
Regium, necnon ad Tieftkewitzum,
ceterosque Præsides Catholicos literas
Hist. Eccles. Tom. LXI. L de-

Sæc. XVII. dedit, in quibus exposuit, quod „qui-
A. C. 1645. „dem ob Lutheranae sectae societatem
 „sefe Dantiscanis Theologis jungere
 „debuisset, ideo vero sese Calvinistis
 „adjunxerit, quia ab Electore Brande-
 „burgico utriusque partis Patrono huic
 „colloquio assistere, & ab Thoruniensi-
 „bus, & Elbinganis Proconsulibus, ipso-
 „rum Theologis & Ecclesiarum Ministris
 „accedere rogatus esset: dum vero
 „Thorunienses & Elbingani Præcones
 „cum Dantiscanis in unum Collegium
 „coalescere vellent, illum Dantiscani
 „suo consortio indignum reputarint,
 „quia doctrinam ubiquitaris non pro-
 „baret, & de dissentientibus mitius ju-
 „dicaret, nec opinantes rejiceret, nec
 „Gehennæ manciparet, nec eorum fa-
 „miliaritate uti, aut cibum cum eis
 „sumere reformidaret., Quod vero
 hic Præco ad Calvinistarum preces sese
 Reformatis contra Catholicos junxerit,
 a Friderico Guilielmo Electore Brani-
 deburgico die decima tertia Octobris
 gratulatorias recepit literas. Percepto
 Calixti consilio Lipsienses, Wirtenber-
 geneses & Jenenses Præcones velut ra-
 bidi canes in eundem tanquam fidei
 desertorem, & Syncretismi cum Cal-
 vinistis, cultus Orthodoxi manifestis hostibus
 stabiliendi fabricatorem impotentibus
 furiis desævire cæperant, atque inter
 eos

eos Hulsemannus ex Sacris literis, jure Sæc. XVII.
A. C. 1645.
Romanorum, Conciliis & S. Patribus, ne orthodoxi Ecclesias hæreticorum
adeant, semper prohibitum fuisse, de-
monstrabat, simulque Luneburgicum
Principem his verbis alloquebatur: *Uti-*
nam in Thoruniensi Palatio præsens fuisses,
proculdubio, indignitate pessimi exempli &
commercii motus, Calixtum manu prehen-
sum de folio deturbasses, correptumque ob-
jurgasses his verbis: non decet te, ministrum
nostrum, cum malorum conventiculo ali-
quid habere commercii.

Ita modeste, quotiescunque col-
loquia pro ineunda concordia habuere,
Lutherani & Calvinistæ invicem dicte-
riis jugularunt, & malo malum repen-
dentes luto lutum lavarunt, ac pro-
pterea nunquam inter se sinceram ani-
morum, minus vero doctrinæ concor-
diam stabilierunt, quia, ut fatetur
Jurieus, *nunquam pars una se in trium-*
phum duci patietur, nunquam pars altera
renuntiabit suo dogmati; hoc enim esset
idem, acsi quis pro remedio concordie inter
Gallos, & Hispanos poneret, ut hi omnes
Urbes & Provincias in Gallorum manus
traderent: ast interim, ut idem
Jurieus alio in loco prorsus egregie as-
ferit, ejusmodi concordie labor illud
commodi habebit, ut fædus bonum iniri
possit, & PAPISTIS TERROR IN-
L 2CU-

Sæc. XVII. *CUTIATUR.* Ita nempe tota eorum
 A. C. 1645. concordia unice ad Catholicos junctis
 viribus opprimendos collimat: ex ea-
 dem quoque causa Jægerus pro Lu-
 therana sua pietate Calixti commer-
 cium cum Calvinistis excusans, *potes*,
 inquit, *optimum habere scopum, qui Re-*
formatis amice se sociat ad oppugnandum
Papismum.

Hist. Eccl.
Jægeri l. 5.
c. 2. p. 703.

§. LV.

Prima hujus colloquii auspicia.

Hildebrand.
Hist. Conc.
pag. 344.
Hieron. a
S. Hyac.
idea colloq.
Thourn.

Die præstituta in Thoruniensi Palatio
 ingens erat Doctorum concursus,
 ac præcipue aderant nominati a Rege
 trium partium litigantium Præsides;
 scilicet Catholicorum nomine Georgius
 Tyszkiewiczus, pro Calvinistis Zbi-
 gneus de Goray, & pro Lutheranis Si-
 gismundus Gyldenstern: Rex vero
 Uladislaus suo nomine deputabat Geor-
 gium de Tenczin Offelinii Ducem ac
 Cancellarium, necnon Joannem Co-
 mitem Lesznensem, aliosque Proceres.
 Ex Theologis Catholicis designati er-
 rant Stephanus Damalewitz, Sapel-
 lius, Vitellius, Petrykowskius, &
 Usliensis, Canonici, ac Sacrae Theolo-
 giæ Doctores, necnon Bartholomæus
 Nigrinus Regius Secretarius, qui a Cal-
 vini secta ad Catholicos transiit, & Regi
 hujus

hujus conventus auctor exstitit: Præter Sæc. XVII.
 hos convenerant alii sex Theologiæ & A. C. 1645.
 utriusque Juris Doctores unacum Be-
 nedicto Bulekowskio Franciscano, Geo-
 rgio Schönhof Jesuita, aliisque octo
 Theologis ea eadem Societate: His
 accesserant PP. Hieronymus a S. Hya-
 cintho, & Alexander a puero Jesu
 S. Theologiæ Professores Carmelitæ Ex-
 calceati, & Pater Fabianus Myslinski
 Dominicanus, Sacræ Theologiæ Do-
 ctor. Ex parte Calvinistarum ab Ele-
 ctore Brandeburgico missus interven-
 rat Joannes Bergius, & Fridericus
 Richelius una cum aliis undecim Præ-
 dicantibus, quibus Calixtus pro com-
 muni caussa contra Catholicos sese ad-
 junxit. Lutheranæ partis princeps e-
 rat Hulsemannus præter alios quatuor-
 decim Præcones, quibus, serius tamen,
 Curlandici, aliique Theologi Calvi-
 nistæ accesserunt:

Nondum conventui datum erat ini-
 tium, cum jamjam inter Lutheranos
 & Calvinistas acris moveretur discepta-
 tio; illis importune petentibus, ut no-
 minatim in Calvinistas, eorumque do-
 ctrinas inveheretur; in hoc tamen Lu-
 therani inter se conspirabant, Calix-
 tum Lutheranorum Theologorum nu-
 mero non esse accensendum, eoquod
 in fide suspectum sese reddiderit, a

Sæc. XVII. Calvinistis Principibus vocatus fuerit,
A. C. 1645. vestemque Theologo incongruam portavit: futes sane rationes, ob quas a ceterorum consortio excluderetur Calixtus. His ita congregatis Catholici omnes ad Ecclesiam S. Joannis Baptiste hora circiter octava properarunt, ubi Tyskiewiczus Præses pro impetrando Spiritus Sancti auxilio Sacrum solemne celebrabat, quo peracto una omnes ad Prætorium ascenderunt: Primum ibi confessus locum occupabat Legatus Regius, proximum colloqui Præses, & Joannes Comes Lesznenſis Castellanus Gnesnenſis: in dextero latere Catholici, ex opposito autem Calvinistæ Theologi confedere; ultimi vero erant Lutherani: postquam igitur cuncti suis collocati erant sedibus, Regis Legatus hunc ferme in modum differuit: „Polonia in Rege Uladislao redivivum, „quasi veneratur Constantinum: noscimus, in propria sævire viscera universum orbem Christianum; concives, „cognatos, fratres prætextu sacrorum „Religionem, & instinctum naturalem „evertere; fidem, alias innocentiam matrem, sanguinolentis propagari meritis: sola hucusque Polonia tantæ „feritatis expers permansit: Ne vero „contagio illa illæſas adhuc partes inficiat, Uladislai cura est & sollicitudo: „hinc

„hinc fraternum hoc & charitativum Sæc. XVII.
 „Colloquium institui voluit. Remo- A. C. 1645.
 „vendæ in eo acerbitatum altrices, scho-
 „lasticæ nimirum concertationes; de
 „vero & genuino uniuscujusque opi-
 „nionis sensu tranquille & modeste dis-
 „serendum erit; falsæ translationes, &
 „imposturæ procul habendæ. Sic spes
 „erit, fore, reliquum genuinæ differen-
 „tiæ facilius componi, & spiritum pa-
 „cis ac concordiæ allici posse. His ita
 „præmissis conciliandæ demum praxes,
 „corrigendi mores, scandala profligan-
 „da, & unius ad alterum postliminio
 „revocanda erit fiducia. Igitur ad pro-
 „curanda hæc necessaria Regis nomine
 „adsum; quin & præsentis Theologi
 „omnes animis & conatibus tantæ rei
 „expediendæ affuturi sint, DEUM,
 „Ecclesiam, Regem, bonos omnes ju-
 „beo & spero.

Absoluto hoc sermone Vieyskiius
 Regii Legati secretarius Regis mandata
 de ordine & modo in hoc colloquio
 tenendo prælegebat, hujus tenoris:
 „Scopus suscepti negotii, scilicet con-
 „cordia & unitas Religionis, Ecclesiæ
 „item patriæque pax, collocutoribus
 „præ oculis habenda erit, medium e-
 „jus acquirendi liber & amicus est
 „congressus. Collocutorum quidem ar-
 „bitrio rerum tractationem, formam

Sæc. XVII. „& ordinem committit Rex, ipsius tamen
A.C. 1645. „mens hæc est, ut tribus generaliter
 „actionibus universum absolvatur nego-
 „tium. In prima scilicet investiganda
 „erit quam accuratissime propria & ge-
 „nuina singularum partium doctrina &
 „sententia: in altera de veritate & fal-
 „sitate ejus circumspiciendum; in ter-
 „tia discutiendum, si quid circa praxin
 „& mores controversum fuerit. Quod
 „ad primam actionem, primis collo-
 „quiorum diebus unaquæque pars de
 „singulis doctrinæ controversæ capiti-
 „bus suam sententiam brevibus, sim-
 „plicibus, apertisque verbis conceptam
 „in medium proferat, eandem adver-
 „sæ parti recognoscendam tradat, ei-
 „demque vel scripto vel viva voce ex-
 „plicandæ, depurgandæ, vindicandæ
 „tam diu insistat, donec cuivis liquido
 „constare possit, quid unaquæque pars
 „revera docuerit, quidve putetur vel
 „singatur docuisse. Probationes hic
 „penitus nullæ admittantur præter eas,
 „quibus ostendendum erit, hunc esse
 „suæ vel oppositæ totius partis sensum.
 „Ita procedatur longo ordine ab uno
 „doctrinæ capite ad aliud, neque ad
 „discussionem veritatis de ullo puncto
 „Collocutores se accingant, quam om-
 „nia simul & singula controversiarum
 „capita eodem modo liquidaverint. Sic
 „unum

„unumquemque, doctum vel indoctum, Sæc. XVII.
 „uno veluti intuitu animadversurum A. C. 1645.
 „speramus, quid tandem illud sit, in
 „quo Romano - Catholici & Protestan-
 „tes inter se pugnent, sibi que contra-
 „dictorie adversentur.,

„Quoad alteram actionem, qua ve-
 „ritas vel falsitas alterutrius doctrinæ
 „eruat, infestis disputationibus om-
 „nino abstinendum erit, adeo, ut ne
 „disputationis rixosum nomen ibi audia-
 „tur: candide contra & simpliciter ve-
 „ritas ostendatur & confirmetur, non
 „tam ingeniosis argumentationibus,
 „quam potius prudenti consilio & col-
 „latione: falsæ imputationes quævis
 „abrogandæ, veteraque odia, vel no-
 „væ dissidentiae plene exulent. Hæc
 „ergo sola superest ad pacem via:
 „qua si nihil proficiatur, restat credere,
 „Christum ob eorum culpam non reli-
 „quisse remedium, modum & rationem,
 „qua conciliari possint Ecclesiæ. Ter-
 „tiæ actioni modum mensuramque se-
 „cunda ponat. Studiosè autem præ-
 „cavendum, ne, dum de doctrinæ ve-
 „ritate disquiratur, quicquam eorum,
 „quæ ad praxin, ordinem, mores, le-
 „gumque disciplinam pertinent, im-
 „portune inferatur. Hæc de ordine
 „rerum tractandarum.,

L 5 ,

„Cir-

Sæc. XVII.

A. C. 1645.

„Circa modum agendi advertatur,
 „ne quis agat vehementia affectuum
 „verborumque abreptus, nihilque pro-
 „ferat, quod vel umbram habeat offen-
 „sæ, aculei, cavilli. Propositio do-
 „ctrinæ, declaratio, cæteraque, quæ
 „spectare putabuntur ad rei substantiam,
 „scripto concipiantur; extra quæ dein-
 „ceps, cum oretenus agendum sit, lon-
 „ge excurrere non liceat. Scripta, ubi
 „ab auctoribus suis privatim limata fue-
 „rint, deferantur ad manus Legati &
 „Deputatorum: non ut illi de doctri-
 „na, ejusque veritate vel falsitate judi-
 „cent: sed ut videant, num aliquid in-
 „sertum sit, quod partem oppositam
 „jure possit offendere: quo deprehen-
 „so moneatur pars, cui tale quid exci-
 „dit, ut temperet, corrigat, deleat.
 „Quibus peractis tradantur cuivis parti
 „scripta partis oppositæ. Intra biduum
 „triduumve privatim pars una alterius
 „scripta legat & examinet. Liberum
 „sit ad meliorem rei elucidationem se-
 „mel vel bis novo scripto, brevi, ner-
 „voso, aperto mentem explicare. Ad
 „particularia Colloquia bini tantum a
 „quavis parte admittantur Collocutores;
 „reliqui adsint, & taciti audiant. Duo
 „ex unaquaque parte Notarii singula
 „integre & fideliter calamo excipiant,
 „quæ in singulis actionibus & sessioni-
 „bus

„bus
 „cepe
 „hab
 „sub
 „rum
 P
 Præf
 loqui
 Prov
 disla
 beatu
 sæ p
 Eccle
 tatu
 neu
 xit:
 fider
 sui &
 audi
 nec
 vera
 cessi
 xim
 gra
 nen
 tam

A

„bus agentur. Quicquid hi scripto ex-
 „ceperint, ab omnibus partibus ratum
 „habeatur, a Moderatoribus partium
 „subscribatur, annulo sex Deputato-
 „rum obsignetur, &c.

Sæc. XVII.
 A. C. 1645.

Perlectis his omnibus Catholicorum
 Præses paucis exposuit, quod hoc col-
 loquium Romanæ Ecclesiæ, Synodi
 Provincialis Varsoviensis, necnon Ula-
 dislai Regis auctoritate & mandato ha-
 beatur, proin sperandum esset, adver-
 sæ partis Theologos nihil non pro pace
 Ecclesiastica feliciter restituenda ten-
 turos: absoluto hoc sermone Zbi-
 neus pro reformatis differens subjun-
 xit: illuxisset tandem bonis omnibus de-
 sideratissimam diem, quam & Majores
 sui & ipsi posteri videre exoptarunt, ut
 audiri possent & evincere, nec illos
 nec seipsos a communi sancta Matre,
 vera catholica Ecclesia unquam se-
 cessisse, aut secedere voluisse: hinc ma-
 ximas deberi Uladislao, Patriæ Patri,
 gratias, addita pollicitatione, se om-
 nem in amore veritatis candorem ad
 tam sacrum negotium allaturos, &c.

§. LVI.

Primæ Sessiones hujus colloquii.

Altera die prima habebatur Sessio, in *Sæger. Hist.*
 qua denuo inter Calvinistas & Lu- *Eccl. l. 5.*
 thera- *cap. 1.*

Sæc. XVII theranos Prædicantes altercatio ferve-
A. C. 1645. re cæpit, hi enim potio- rem sibi locum
 vendicabant, eoquod tam in Regio e-
 dicto, quam in pluribus aliis ejusmodi
 congressibus a longo jam tempore ante
 Calvinistas nominati collocatique fuis-
 sent, e contrario autem Calvinistæ
 præminentiam suorum Patronorum,
 scilicet Electoris Brandenburgici, alio-
 rumque crepabant: Lutheranis tamen
 cedere cogebantur. Demum vero Ca-
 tholici reformatis conditiones, quas in
 prima actione observare vellent, pro-
 posuere: erant autem hæ: I. in hoc
 congressu duntaxat Catholicæ fidei do-
 ctrina dilucide exponatur II. cuncta,
 quæ Rex observari vult, integre ser-
 ventur III. nihil de actis hujus collo-
 quii ullo modo promulgetur, priusquam
 Rex protocollum promulgaverit. IV.
 Accepta Catholicorum doctrinæ decla-
 ratione nihil præter eam Catholicis
 imputetur. V. In congressibus sine ul-
 lis ambagibus statim ad rei summam
 procedatur. VI. In quo articulo Lu-
 therani & Calvinistæ conveniunt, non
 plures, quam duo disputent, qui pro
 utraque parte agant. Vicissim vero
 Calvinistæ a Catholicis postulabant,
 Scripturam Sacram recte secundum
 fontes Hebraicos & Græcos versam, justo
 debitoque modo intellectam & explica-
 tam,

tam, pro Regula, norma & amussi ha- Sæc. XVII.
bendam: ad illustranda Scripturæ A.C. 1645.
dicta, quæ vel nimis obscura vel am-
bigua videbuntur, admittendum Pa-
trum trium primorum sæculorum testi-
monium; non tamen certum & indubi-
tabile, nisi ex genuinis, indubitatis &
incorruptis documentis erutum sit, &
consensu manifesto atque demonstrato
roboratum compareat: inter partes de-
nique de titulis, quibus colloquentes
inter se uti debeant, conveniendum.

Insuper petebant, ut duobus illis
Prædicantibus, qui in arenam descen-
suri essent, priusquam ad proposita re-
spondeant, temporis spatium conceda-
tur, ut suorum Collegarum sententiam
prius exquirere possint, colloquium ve-
ro infra quatuor hebdomadas finiatur,
& acta utrinque subscripta intra seme-
stre typis edantur.

His privatim peractis Catholicorum
Præses Hymnum, *Veni creator &c.* in-
tonabat, quo finito Catholici Notarii
in manibus Episcopi, Protestantes ve-
ro in manibus Legati Regii juramen-
tum præstiterunt: die trigesima Augusti
ob Lutherani Præsidis infirmitatem
nulla habebatur Sessio, inclinante ta-
men eadem die Lutherani declararunt,
se Augustanæ Confessioni firmissime in-
hæsurus, ac si opus esset, consignatu-
ros

Sæc. XVII. ros synopsin controversiarum, dummo-
A.C. 1645. do Catholici, qui primi ceteros invi-
 tarunt, antea explicent, in quibus ar-
 ticularum consensum Augustanæ confes-
 sionis expetant: ad hæc necnon ad Cal-
 vinistarum postulata Catholici altera
 die responderunt, & Calvinistæ sequenti
 die suam fidei Confessionem Catholicis
 tradidere, profitentes, Scripturam Sa-
 cram pro unica fidei regula se agno-
 scere: neque tamen in ambiguis do-
 ctrinæ capitibus Symbola Ecclesiæ a-
 spernari, sed Apostolicum, Nicenum,
 Constantinopolitanum, Ephesinum, Chal-
 cedonense, & Athanasianum dilucidan-
 dæ rei etiam adhibere: quin & quæ
 quinta & sexta Synodi Nestorianorum,
 & Eutychianorum reliquiis opposue-
 rint: quicquid denique primitiva Ec-
 clesia ab ipsis usque Apostolorum tem-
 poribus unanimi & notorio consensu
 tanquam necessarium fidei articulum
 crediderit, id & se ex scripturis cre-
 dere & docere. Quod ad controver-
 sias, Patrum suorum tempore exortas,
 in iis se accedere Augustanæ Confes-
 sioni vel invariatae vel Variatae, con-
 sensui item Sendomiriensi anno 1570.
 cuso. Sin autem Romano-Catholici
 singularum controversiarum distinctio-
 nem & specialiore explicationem re-
 quirerent, se illam non denegaturos:
 modo

modo ipsi candidam & apertam doctrinæ suæ declarationem ipsis ante considerationem offerrent. Sæc. XVII.
A.C. 1645.

Haud reluctantes eis Catholici suam tradiderunt confessionem fidei, utpote jam a septendecim ferme sæculis toti orbi cognitam: In sessione quarta die secunda Septembris decisa fuere varia ad ipsam collationem spectantia: in quinta demum Sessione agitatum, quisnam titulus Catholicis in actis tribuatur; Protestantes enim illos *Romano-Catholicos*, Catholici vero absolute se *Catholicos* nominari petebant: conventum tandem, ut Notarii Catholici scribant absolute *Catholici*, Protestantes vero Notarii, vel simpliciter *Protestantes*, vel cum addito: *Lutheranos aut Calvinistas* annotent. Postmodum a Lutheranis ridicula mota erat quæstio, an Calvinistæ nominentur *Socii Augustanæ Confessionis*, reclamabat autem vehementer Hulsemannus, Calvinistas objurgans, quod Augustanæ Confessionis societatem & communionem etiam quoad dogmata sibi vindicare, idque actis inferere ausi fuissent, Demum in Sessione V. & VI. de actorum Protocollo typis evulgando actum est.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

§. LVII.

*Sessio VIII. & sequentes usque ad
Sessionem XXII.*

*Kortholt.
Hist. Eccl.
Sæc. XVII.
cap. 3.*

Habebatur die septima Septembris Sessio octava, in qua Lutherani reclamabant contra Calvinistas, eoquod hi cum Catholicis in Sessione VI. ut Catholicus Præses publicas preces in Conventu funderet, consensissent: Lutherani autem petebant, ut illæ *per vices* recitarentur: tandem vero Augustanis permissum, ut ipsi a publicis hisce precibus abessent, eas tamen in suo conclavi absolverent, quibus finitis sese ceteris in colloquii loco adiungerent. His ita stabilitis Catholici suam fidei confessionem Lutheranis quoque exhibuerunt, in qua paucis declararunt, illud & solum esse credendum, fideque Divina tenendum, quod Verbo Dei sive scripto sive tradito revelatum esset. Ad hæc mox reposuerunt Lutherani, se duntaxat Canon scripto ab Ecclesia Catholica & Apostolica proposito, qui in Concilio Laodicensi reperitur, innixuros, rejecto plane verbo non scripto: Symbolum Apostolicum se quidem venerari, sed non pro *θεοπνεύτω* habere, cæteraque scripta Ecclesiastica fide humana accipere: in

S. li

S. literis vero nonnisi eum sensum Sæc. XVII.
A. C. 1645.
 suscipiendum, quem Spiritus sanctus
 intendat: omnes autem fidei articulos
 e S. codice legitime deductos in Augu-
 stana Confessione invariatis com-
 prehendi.

Postea Hulsemannus petiit, ut Ca-
 tholici declararent, quosnam libros
 pro Symbolicis haberent: Actum tan-
 dem, qua ratione sensus doctrinæ in-
 vestigari posset, & ex quonam princi-
 pio hic sensus sit probandus: circa pri-
 mam quæstionem conventum est, le-
 gitimas etiam, easque proximas con-
 sequentias esse admittendas: ad secun-
 dam vero Catholici responderunt, id
 principium pro dogmate habendum,
 quod decisum est a Conciliis Oecume-
 nicis, & approbatis, quodque unanimem
 Doctorum consensum habet, etsi pauci
 dissentiant. Id rursus Lutheranis di-
 splicuit, eoquod nullus detur fidei ar-
 ticulus, de quo Universalis habeatur
 consensus: acrius instabat Hulseman-
 nus, postulans, ut ad ulteriora non
 procedatur, nisi prius de hoc probandi
 principio conventum esset: dum ergo
 die nona Septembris Sessio nona habe-
 retur, Catholici declararunt, suum
 principium pro dilucidanda doctrina esse
 consensum Ecclesiæ Catholicæ expres-
 sum in legitimis quibusdam Conciliis

Hist. Eccles. Tom. LXI.

M

legi-

Sæc. XVII. legitime approbatis præcipue in Tridentino: econtrario Lutherani reposuere, eam se veram fidem agnoscere, quæ Verbo Scripto veteris & novi Testamenti niteretur, hujus vero fidei symbola esse Apostolicum, Nicænum, Athanasianum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, ac insuper decreta fidei in Concilio Oecumenico Constantinopolitano II. & III. ut & Milevitano & Arausicano. II. Hanc vero fidem in Confessione Augustana invariata, ejusque apologia, item in majori & minori Lutheri Catechismis, articulisque Smalcaldicis explanatam, atque in formula concordie perspicue declaratam esse, in Sessione autem decima die undecima Septembris habita, Lutherani declararunt, se Catholicorum principium non admissuros, in sequenti demum Sessione die decima tertia Septembris Catholici specialem fidei suæ confessionem Calvinistis tradiderunt, graviter, nec immerito querentes, quod ipsis variæ opiniones & errores, præsertim circa S. Scripturam, Pontificem, Sacrificia, Sanctorum venerationem &c. inique nulloque jure a Sectariis imputarentur. Vicissim Calvinistæ magis specialem suæ Religionis declarationem Catholicis exhibuere, quæ tamen, cum multa superflua, injuriosa, & impertinentia

mentia contineret, eis reddita est, ut Sæc. XVII.
 illam majore moderatione conciperent. A. C. 1645.

Sequentes duæ Sessiones circa varia
 scripta Catholicos inter & Lutheranos
 ablucebantur, in Sessione autem de-
 cima quarta die decima sexta Septem-
 bris acta colloquii relegi & conferri
 cæpta: cum autem in iis variæ occur-
 rerent difficultates, res ad pleniorum
 Deputatorum cognitionem remissa est.
 Postmodum specialiter declaratio Cal-
 vinianæ doctrinæ perlegebatur, adver-
 sus quam Catholicæ partis Præses, Re-
 gisque Legatus vehementer declama-
 bant, eoquod in ea contra expressum
 Regis mandatum Calvinistæ non tam
 fidei declarationem quam satyram con-
 vitiis, & injuriis in Catholicam Ec-
 clesiam effusis scatentem exhibuerint,
 ac proterve, cum tantum addere de-
 buissent, *hoc credimus, hoc non credimus*,
 ipsi ad Catholicæ fidei dogmata addi-
 derint, *hæc damnamus, detestamur, abo-*
minamur, insuper etiam Catholicis dog-
 mata ab ipsis semper damnata imputa-
 verint, de cultu spuriorum Sanctorum,
 & reliquiarum accusarint, suam vero
 doctrinam de Sacramentis & præcipue
 de Coena tam obscure proposuerint, ut
 vix a doctis capi posset, Ecclesiam quo-
 que Catholicam appellarint falsam,
 Tyrannicam, & Anti-Christianam.

M 2

Eapro-

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

Eapropter Regis Legatus palam declarabat, nisi hæc convitia expungerentur, Calvinianam hanc declarationem actis non esse inferendam. Inde vero ad acerbum verborum conflictum deventum est, replicante Zbigneo Calvinistarum Præsidente, quod Calvinistæ Regis voluntati plene satisfecissent, nec offendendi animum habuissent, cum verba ita generatim essent posita, ut jure neminem offendant, de cetero autem illos articulos, circa quos a Catholicis dissentiunt, utique rejicere debuerint: Hæc responsio admodum mirande videbatur Legato, haud intelligens, quomodo offendendi animus deesse potuerit, illis, qui nullatenus lacesiti integra injuriarum plaustra in publico scripto in alteram partem effundunt: quocirca Zbigneo reposuit, sibi competere Regii mandati interpretationem, & nulli alteri, Catholicos hucusque summa charitate processisse, adversam vero partem reponere injurias. Incalcescente demum mutua contentione soluta est Sessio: Die autem decima nona Septembris, Sessio decima quinta habebatur, ubi Lutherani a Catholicis petebant, ut declararent, quot & quanam Concilia pro legitimis approbatisque habeant, quibus Catholici responderunt, „quod Concilia pro adæquato totius

„totius suæ doctrinæ principio non ha- Sæc. XVII.
 „beant, cum multa doceantur Catho- A. C. 1645.
 „lica, quæ in Conciliis definita non
 „essent, sicut æque Lutherani multa
 „fidei dogmata de Deo, SS. Trinitate,
 „Christo Domino, Justitia & Sacra-
 „mentis &c. credant, quæ tamen in
 „eorum confessione aliisque libris defi-
 „nita non sint, sed solis innitantur
 „Scripturarum testimoniis, de cetero
 „autem Catholici haud immerito de
 „Lutheranis quererentur, eoquod hi
 „jam Concilia admittant, jamque re-
 „jiciant, & prorsus inconsulto moras
 „nectant tam in acceptanda Concilio-
 „rum auctoritate, quam in agnoscendo
 „Ecclesiæ consensu, qui tamen facilli-
 „mum, omnibusque obvium est doctri-
 „næ dilucidandæ medium, aliunde ve-
 „ro paucorum dissensus universalitati
 „consensus Ecclesiastici non obstat: præ-
 „cipue cum nec ipsa Augustana Con-
 „fessio vim auctoritatemque apud ipsos
 „haberet, nisi unanimis suorum Majo-
 „rum consensus accessisset. Ne tamen
 „omnis labor in irritum caderet, Catho-
 „lici consentire parati essent, ut utrin-
 „que Concilium Tridentinum & Con-
 „fessio Augustana pro dilucidandæ do-
 „ctrinæ medio habeatur.,

Postea die vigesima secunda Septem-
 bris in sessione sequenti Lutherani suæ

M 3

fidei

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

fidei confessionem exhibuere, quam ta-
men Catholici utpote injuriola & im-
pertinentia contra Regis mandatum
continentem non acceptarant: propo-
suit etiam Hulsemannus contra Catho-
licorum confessionem plura dubia, de
quibus postea inter Catholicos delibe-
ratum, conclusumque in proxima Ses-
sione, nulla dubia scriptotenus certis
ex causis esse porrigenda. Præpedito
Regni Cancellario, ejus vices in Ses-
sione decima octava obibat Joannes
Leszynskyus, qui die vigesima quinta
Septembris de Sectariorum tergiversa-
tionibus graviter questus, tam tardi
progressus unicam esse causam dixit,
quod Calvinistæ & Lutherani Præco-
nes tam longe a Regis mandato rece-
ferint, quocirca illud denuo explicandi
negotium Patri Georgio Schönhofio de-
dit, qui in hunc ferme modum perora-
bat: Remorarum causæ præcipuæ
„sunt, quod partium animi non in eun-
„dem colliment scopum, in diversas
„potius, quandoque etiam contrarias
„abeant vias, contrariisque mediis sæ-
„pius confligant, & invicem collidan-
„tur. Hinc cessationis & quietis inter-
„stitia. Scopum totius negotii biparti-
„tum esse sciant, unum per se intentum
„scilicet pacem & unitatem perfectam
„Regni sui Civium; alterum per accidens,

„si prior deficeret, nempe pacem saltem
 „imperfectam. Ad eam obtinendam o-
 „pus est concordia: Catholici suam
 „partem sincere agent, nec quicquam
 „permittent, quod ab eo fine alienum
 „videatur. Sinistri partium conceptus
 „tot malorum fuerunt causa; hoc uno
 „fomite tam luctuosum dissidium in
 „hoc in primis Regno fovetur: hinc
 „cavillationes & aculei sunt omittendi,
 „totumque negotium pacifice peragen-
 „dum. Unaquæque scilicet pars de
 „singulis controversis doctrinæ capiti-
 „bus suam sententiam brevibus, aper-
 „tis, & simplicibus verbis proferat vel
 „scripto, vel viva voce: imputationes
 „falsæ removeantur: ingeniosis argu-
 „mentis non decertandum, sed de pru-
 „dentia & consilio dispiciendum est.,

Hunc sermonem Hulsemannus tan-
 quam superfluum, & Zbigneus velut
 nimis longum carpebant, utrique ve-
 ro displicuit, quod Schönhofius inter
 alia dixisset: *Catholici non opus habent*
Studio roborandi sua dogmata, cum fides
Catholica in hoc Regno Materfamilias,
Domina & hæres, suismet præsidiis adeo
firma sit, ut humanis adminiculis, quæ
tenuissima forent, prorsus non egeat: die
autem vigesima sexta Septembris Ber-
gius Calvinista Regii Legati jussu ad
Schönhofii sermonem respondit: „ve-

Sæc. XVII „ras quidem esse morarum causas a
A. C. 1645. „Schonhofsio indicatas, culpam tamen
„non tam in Protestantes, quam ipsos
„Pontificios conjiciendam: & si Ca-
„tholici fidem suam nullo robore ege-
„re censeant, sane nec Protestantium
„fidem nova indigere confirmatione:
„Prædicent ipsi suam Ecclesiam veram
„Matrem familias, Dominam, & hæ-
„redem; Dominam tamen fidei non
„esse: se laborare pro obtinenda pace:
„nihil se innovaturos, solam innovan-
„dam pacem: de cetero laude dignum
„esse, quod Clerus Catholicus belli-
„cosos suos spiritus ad tempus, donec
„classicum canatur, deponere velit:
„Protestantes iis non instructos esse,
„classicumque omnino deprecari, pa-
„cis Angelos se futuros., Adhuc im-
moderatus Huselmannus in Schon-
hofium, & Catholicos invehebatur,
eosdem redarguens, quod tardioris
progressus causæ essent, & a Regia
instructione, in qua non *leges*, sed dun-
taxat *desideria* continerentur, inutilibus
verborum capturis recessissent, seque
pro Judicibus venditarent, cum tamen
potius barbarum & secessionis rei essent.
Protestantes vero nil nisi consensum in
fide intenderint, & ad hunc finem con-
grua obtulerint media. Catholici autem
multa nova contra Regis mentem ten-
tarint,

tarint, proin ipsimet in sua doctrina Sæc. XVII.
 corrigerent, quæ in aliis culpant, ve- A.C. 1645.
 ritatis demum nunquam extinguendæ
 fiduciam Protestantes unice in illo Ma-
 jorum suorum Symbolo repositam ha-
 berent in his verbis: *Verbum Domini*
manet in æternum. Porro sequentes duæ
 Sessiones inutili disceptatione absume-
 bantur.

§. LVIII.

Colloquium re infecta dissolutum.

Dies erat tertia Octobris, in qua Ses- *Sagitar.*
 sio vigesima secunda habebatur, *intro. Hist.*
 non sine indignatione Protestantium; *t. 2. p. 1592.*
 sicut enim hi in nupera Sessione non *Walchii*
 comparuerunt, sub vano hoc obtentu, *Bibl. c. 2.*
 quod ea omnium partium consensu non *de Script.*
 fuisset indicta, ita contra hanc quoque *Hist. p. 883.*
 reclamarunt, caussati, quod ipsis non
 omnino consentientibus indicta fuisset:
 cum ergo Catholici ex continuis Pro-
 testantium cavillationibus probe cogno-
 scerent, quod nonnisi quæsitis tergiver-
 sationibus, motisque rixis concordiæ
 successum præpedire niterentur, hinc
 Regis Legatus illorum audaciam coer-
 cere intentus, præcipue Hulfemannum
 ceteris magis protervum acriter redar-
 guit, eoquod Regiam instructionem in-
 terpretandi auctoritatem sibi assumeret:

M 5

Schon-

Sæc. XVII. Schonhofius quoque ad nuperam Ber-
A.C. 1645. gii Calvinistæ declamationem respon-
 dens, demonstratum ibat, falso Catho-
 licis imputari, quod ad pugnae classi-
 cum provocent, & tamen disputatio-
 nem effugiant, suamque Ecclesiam am-
 plioribus præ aliis efferant titulis, &
 suis monitis moras neçant: e contra-
 rio autem Protestantibus objecit, quod
 Religionum dissidia componendi curam
 abjicerent, & proposita duntaxat secta-
 rum tolerantia aptas concordiam stabi-
 liendi rationes eluderent, necnon ipso-
 rum scripta & confessiones nondum
 prælectas, actisque insertas fuisse im-
 merito quererentur, cum id non alia
 ex causa factum fuisset, nisi quia
 contra Regis mandatum amaras & cre-
 bras in Catholicos & Catholicam fi-
 dem injurias illis inseruerint, Catho-
 licæ doctrinæ & Ecclesiæ falsas, priva-
 tasque quorundam opiniones imputa-
 rint, sine necessitate privatos congres-
 sus multiplicariint & in longius protra-
 xerint, ac denique a præscripta con-
 cordiæ methodo recedentes, nonnisi
 sua dogmata vindicare conati sint &c.
 Perorantem Schonhofium excepit P.
 Hieronymus a S. Hyacintho Carmelita
 Excalceatus, qui Hulsemannum gra-
 vibus oppido verbis ita alloquebatur:
 „nimia temeritate Schonhofium de ar-
 rogata

„rogata Regiam instructionem inter-
 „pretandi licentia redarguere ausus es,
 „cum hoc tamen nunquam in mentem
 „illius venerit; desideratur in te ma-
 „ior cautella & modestia: nos Catho-
 „lici hucusque omni moderatione usi
 „fuimus, non item vos: novas leges
 „condere non intendimus, sed præscri-
 „ptis firmiter inhæremus: Dissimulare
 „autem non possumus, quod sectæ tuæ
 „nunquam extinguendæ fiduciam in
 „hoc Majorum tuorum Symbolo: *Ver-*
 „*bum Domini manet in æternum* ponere
 „ausus sis, cum tamen Majores tui,
 „scilicet seditiosi Lutherani, dum oc-
 „casione & prætextu Religionis rebel-
 „lionem contra Carolum V. Imperato-
 „rem minus faustis auspiciis inchoatam
 „tristiori fato terminarunt, hæc ipsa-
 „met verba pro Symbolo & tessera
 „habuerint, eorumque initiales literas
 „suis vestibis affixas prætulerint: No-
 „lim suspicari, quod ad ejusmodi re-
 „bellionem tuo epilogo alludere volue-
 „ris; id enim a scopo & indole frater-
 „ni colloquii omnino abluderet: Ver-
 „bum quidem Domini manet in æter-
 „num, hoc autem symbolum, quate-
 „nus nobis est, & esse potest suspectum,
 „ab inclyto hoc Regno exulet in æter-
 „num., Finita hac Patris Hieronymi ora-
 „tione Hulsemannus ideo graviter offen-
 „sus,

Sæc. XVII.

A. C. 1645.

Sæc. XVII.
A. C. 1645

sus, quod sui Majores rebellionem contra Cæsarem movisse dicerentur, respondit, illos ex æquitate & jure naturali coactos arma defensiva in Cæsarem strinxisse, hanc vero calumniam in ipsum Saxonie Electorem redundare, cujus nomine ipse satisfactionem peteret: Huic vero Pater Hieronymus mox regessit, *hujus non est loci, negotia Ducis aut Ducatus Saxonie pertractare, in quocunque alio loco & foro dictorum veritatem comprobare paratus sum*: Varia erant de hac lite judicia; potissimi tamen Hulsemannum temeritatis & impudentie postulabant, eoquod Lutherani symboli verba tempori & loco prorsus incongrua induxisset, quid enim res in Germania gestæ ad Lutheranos in Polonia? ipsum quoque Hulsemannum non a Saxone missum, sed a Polonis exoratum venisse, dicebant alii &c. Non multo post hic idem Carmelitanus Theologus scriptum vulgavit, sub hoc titulo: *Satisfactio ab Hulsemanno in colloquio charitativo Thoruniensi requisita, & ibidem exhibita unacum animadversione in eundem Ministrum Wittebergensem*. Hoc scriptum quoque P. Hieronymus in Sessione vigesima septima palam exhibuit, quod tamen, cum ad principale negotium minus spectare videretur, actis non fuit insertum, publicis

blicis tamen typis anno sequenti Cra-
 coviæ divulgatum. Ita demum mu-
 tuis criminationibus hæc Sessio fuit
 interrupta, pariter sequentes duæ die
 quarta & quinta Octobris habitæ re in-
 secta fuerunt solutæ, eoquod Luthera-
 ni suas confessiones ab injuriis contra
 Catholicos effusis expurgare recusarent,
 imo acriter etiam in Zbigneum refor-
 matæ partis Præsidentem inveherentur,
 eoquod invitis Lutheranis ad objecta
 imposterum responderi prohibuerit:
 quocirca Calvinistas rogarunt, ut e-
 tiam suæ partis causam *contra Catho-*
licos agerent, nec in oblatiis suis con-
 fessionibus aliquid immutari pateren-
 tur. Egregia prorsus ineundæ inter
 partes concordie ratio, ubi nihil de
 sua opinione remittere, oppositam ve-
 ro partem junctis viribus opprimere,
 firmum, fixum erat.

Cum itaque ob Protestantium contu-
 maciam colloquium nimis retardaretur
 Schonhofius Regem adiens, declara-
 tionem sive supplementum Regiæ in-
 structionis retulit, atque ex Regis man-
 dato die decima Octobris in Sessione
 XXV. declaravit, deinceps novas seu
 præliminares quæstiones non esse pro-
 ducendas: humane & leniter, non a-
 cerbe omnia peragenda, modum do-
 ctrinas exponendi præscriptum omnino
 obser-

Sæc. XVII. observandum, & Protestantium scripta
A. C. 1645. esse acceptanda, expunctis tamen iis,
 quæ Catholicam partem merito offendunt: Dehinc tam Catholici quam Protestantes ad Regem quosdam deputarunt, qui eidem suas fidei confessiones exhiberent: interim vero Thorunii nullæ habebantur Sessiones, privatos tamen conventus inter se egerunt Protestantes, ubi inter Regiomontanos Calvinistas & Lutheranos acris exorta est dissensio; partim quod hi digniorem locum ipsis cedere nollent, partim quod in sua instructione illis injunctum, ut in communi causa contra Pontificios sese Calvinistis associarent: e contrario autem Lutherani Calvinistas in suam societatem admittere recusarent, nisi prius die decima septima Octobris præfatæ instructioni nuntium mitterent: Tentabat quoque Calvinistarum Præses Protestantes in fide & doctrina conjungere, incassum tamen, cum Lutherani ad suam instructionem provocarent, qua saltem cum Pontificiis, non autem cum aliis agere, ipsis concessum esset, nec aliam concordæ legem se admissuros, declararent, quam ut Calvinistæ repudiatis prius suis erroribus ipsorum sententiæ accederent: cum autem, uti pronuntiabat Hülsemannus, Lutherani a Calvinistis in

arti-

articulis *fundamentalibus* (*) tantum di-
stent, quantum cælum a terra, om-
nis concordiae ratio erat desperata.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

Tandem in sequentibus decem Sessionibus nil aliud actum, nisi quod partes dilati negotii culpam alia in aliam conjicerent, & Protestantes variis obtentibus decisionem eluderent, ac Catholicorum patientiam usque adeo frangerent, ut tandem Protestantibus palam declararent, ipsos colloquii successum nequiter præpedivisse suæ fidei confessionibus, quas Regio mandato adversas, & Catholicis injurias atque noxias, ac toti demum negotio inutiles toties rogati & admoniti corrigere recusassent: Unde in Sessione ultima Regis Legatus die vigesima prima Novembris colloquium hoc, quin vel semel in aliqua Sessione de principali negotio actum fuisset, dissolvit, cunctis re infecta ad sua

(*) Vide decretum Pseudo Synodi Carentonianæ, ubi egregii hi Patres testabantur, quod Lutherani a Calvinistis in *fundamentalibus capitibus* consentiant, proin hi vel ignorarent, quæ utriusque Ecclesiæ fundamentales essent articuli, vel Lutheranos in fundamentibus fidei articulis dissentientes ad Ecclesiæ suæ societatem admiscere, & ex Ecclesia sua Virgine purissima Meretricem aperta hæresi pollutam effecerunt.

Sæc. XVII. sua reversis: Postmodum Calvinistæ
A. C. 1645. scriptum quoddam *de gestis in colloquio*
charitativo Thoruniensi ediderunt, de-
 monstrantes, quod Lutherani in hoc
 colloquio nec pacis, nec fidei amato-
 res sese exhibuissent: mox vero Hulse-
 mannus hanc labem a suis amoturus,
 omnem culpam in Calvinistas rejectit
 & Calixtum refellens eundem cum Ca-
 tholicorum & Calvinistarum doctrinis
 conspirasse insinulavit, edito libro, cui
 titulos: *refutatio Calvinianæ Relationis*
de Colloquio Thoruniensi: Respondit au-
 tem Hulsemanno Constantinus Praw-
 deck Calvinista alio scripto magis ama-
 rulento sub hoc titulo: *Manifestatio*
mendaciorum Hulsemanni de colloquio cha-
ritativo. Inde vero elucet, quam exi-
 gua fides ejusmodi actis, aliisque No-
 vatorum Historiis ob luculentum par-
 tium studium sit adhibenda: unice er-
 go hac in re consulenda sunt *acta hu-*
jus conventus Varsoviæ anno sequenti au-
thoritate & mandato sacræ Regiæ Maje-
statis ad exemplum & fidem Regii proto-
colli impressa: quibus consonat Patris
 Hieronymi a S. Hyacintho Carmelitæ,
 qui magno omnium Catholicorum ap-
 plausu, & hæreticorum confusione ibi-
 dem publice disputabat, *idea Colloquii*
Thoruniensis cum dissidentibus habiti Craco-
viæ typis Andreæ Petriconii An. 1646.
 edita. S. LIX.

§. LIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.*Pontificis indignatio in Barberinos
Cardinales.*

Minus tranquilla Pontificatus sui au-
spicia habebat Innocentius X. *Bruffon. hist. d'Ital. l. 17. pag. 440.*
quamvis enim Odoardo Parmensi Duci *Nani Hist. Ven. l. 2. t. 2. p. 65.*
plene reconciliatus esset, nihilominus *Larrey hist. du Louis XIV.*
postquam Gaufridus Marchio in Aula
Parmensi Administer Christophorum
Giardam Castri Episcopum Sicariorum
manu trucidari jusserat, Pontifex iusta

indignatione commotus, Castrum tot
diffidorum fomitem in tanti sceleris
poenam evertere statuit, sacrilegumque
parricidam anathemate perculit. Ob-
stiterant quidem ductoribus Tassono
Estensi & Gaufrido Parmenses, quos
tamen Aloysius Matthæius post certa-
men utrinque sat cruentum fudit, fu-
gavitque: Accepta hac clade Odoardus
Pontificem placaturus, Gaufridum nu-
peræ cædis, pluriumque criminum
reum capite plecti jussit: nec tamen
propterea evanuit Pontificis consilium
de funditus evertenda urbe, quam, si
supereffet, iterati belli argumentum
fore prospexerat: Igitur Ducis credito-
ribus satisfacere pollicitus, per Julium
Spinolam Castram solo æquari, atque
Episcopali Sede ad Aquæpendentis ur-
Hist. Eccles. Tom. LXI. N bem

Sæc. XVII. bem translata in locis, ubi erant Ec-
A.C. 1645. clesiæ & cæmeteria parvas cruces in-
 figi iussit, erecta in medio urbis foro
 columna, cui inscriptum: *Hic olim e-*
rat Castrum. Compositis hisce dissidiis
 domesticæ oriebantur turbæ; cum e-
 nim Pancirollus Cardinalis, aliique
 Principes crebra accusationum capita
 adversus tres Fratres Barberinos, eo-
 rumque ditionis Pontificiæ administra-
 tionem proferrent, Innocentius Papa
 acerrimus justitiæ Vindex illos in jus
 vocari iussit, ut præteriti ministerii,
 necnon administrati ærarii rationem
 redderent: Jamjam in eos res erat, ut An-
 tonium Barberinum Cardinalem, & Thad-
 dæum ejus Fratrem Papa comprehendi
 juberet: Igitur Barberini, ut immi-
 nentem effugerent tempestatem, Hi-
 spani Regis patrociniū implorabant,
 incassum tamen, nam Magnus Etru-
 riæ Dux sese eis valide opposuerat:
 Nil ergo illis reliquum erat, nisi ut in
 Galliarum Regis tutelam recipi efflagi-
 tarent: noverant tamen Mazarinum
 Cardinalem, qui pro summo imperio
 res Gallicas moderabatur, familiæ
 Barberinæ insensum esse, ejusque jussu
 Antonium Barberinum Galliarum Re-
 gis insignia a suo Palatio avellere nu-
 per coactum fuisse, ac Gallici protectoris
 prærogativa exutum. Nihilominus tuti
 asyli

asyli spem Barberinis inspirabat acrior Sæc. XVII.
 Mazarini indignatio in ipsum Pontificem; A. C. 1645.
 hunc enim, quem ipse a Pontificatu
 excluderat, electum tamen fuisse, ini-
 quo ferebat animo: insuper graviolem
 adhuc offensionem in Papam concepe-
 rat Mazarinus, dum insuperhabitis
 Uladislai Poloniæ Regis, necnon ipsius
 etiam Annæ Galliarum Reginæ preci-
 bus, Fratrem suum Michaellem Maza-
 rinum Ord. FF. Prædicatorum Archi-
 episcopum Aquæ-Sextiæ nuper a Pur-
 pura romana exclusum fuisse comper-
 erat: Hunc igitur contemptum vindi-
 candi animo Mazarinus mutuato Regis
 nomine petiit, ut Pontifex Romæ Lu-
 sitanum Oratorem admitteret, & no-
 minandi jus ad beneficia Ecclesiastica
 in Catalonia, aliisque locis bello partis
 Galliarum Regi cederet, & Baupium
 ex Romano carcere in Gallias captivum
 mitteret, ut ibi causam diceret, cur
 Mazarini vitæ insidias struxisset. Nec
 his contentus Cardinalis, omnes fer-
 me Purpuratos, utpote Hispanis ad-
 dictos, ipsumque Pontificem, ejusque
 Ministros Gallis esse suspectos insimu-
 labat, proin in comitiis Monasterien-
 sibus sedulo evitandos ajebat.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

§. LX.

*Tres Barberini Fratres in Gallias
profugi.*

*Bougeant
Rel. belli
tric. l. 4. t. 2.
pag. 440.
Palat. vit.
Innoc. X.
p. 578.
Aubery hist.
du Card.
Mazar.*

Interim vero Antonius Barberinus Cardinalis intentatæ inquisitionis severitatem declinaturus, Genuam aufugit, indeque transiit ad Franciscum Barberinum Cardinalem Fratrem suum epistolam summo Pontifici exhibendam, in qua adversus imputata crimina suam vindicabat innocentiam; nondum enim Barberini omnem aut Pontificem placandi, aut Mazarinum deliniendi spem abjecerant: hunc tamen ob offensionum similitudinem facilius sibi conciliandum confisi, clam Achylem Valencæum Cardinalem in Franciam ablegarunt, ut eorum nomine Gallicam tutelam imploraret adversus Pontificem, in quem vindictam a Mazarino parari haud ignorabant. Verum vix fama de suscepto Valencæi Cardinalis itinere in Franciam pervaserat, cum illico ad omnes Regni fines Regiæ expedirentur literæ, quibus Valencæus, quem Mazarinus inquietæ indolis hominem, ac proprii sui commodi studiosum suspicabatur, iter suum relegere jubebatur: hanc nihilominus Mazarini solertiam Valencæus iterum probe gnarus, dextre

dextre elusit, insperato Parisios dela-Sæc. XVII.
tus: cum vero Aulam ingrederetur, A. C. 1645.

a Canapleo Comite Regii Palatii Mi-
nistro intra unius horæ spatium urbe,
& octo dierum intervallo ex universo
Regno excedere iussus erat: Valen-
cæus igitur Regis mandato obsistere
haud consultum ratus, Burgundiam
versus ad suæ Sororis villam divertit,
suorum tamen amicorum ope, & pate-
factis suæ legationis arcanis tantum ef-
fecit, ut tandem cum Mazarino confe-
rendi facultatem obtineret: Postquam
igitur Valencæus mira eloquentia Pon-
tificis severitatem, & Barberinorum
oppressionem exaggerans, horum tu-
telam velut rem Gallicæ coronæ op-
pido proficuum exposuerat, Mazarinus
antiquarum offensionum facile oblitus,
de oblata novas vindicandi occasione
tripudiabat, summopere gavisus, quod
Pontificis consilia evertere, & Panci-
roli Cardinalis Hispanorumque machi-
nationes & vota facili brachio dissipare
valeret: Ut vero Reginam ad suas per-
traheret partes, eidem exposuit, quod
Pontifex per Arsentium Doctorem Sor-
bonicum inter illam & Aurelianensem
Ducem dissidia ferere molitus esset:
postea coram Rege, totoque Senatu
Barberinæ Domus tutelam Regiam esse
concedendam intrepide proposuit: Dis-

N 3

fidebant

Sæc. XVII. fidebant non pauci, subitam Regiminis
A. C. 1645. immutationem Regno indecoram fore
 caussati; his vero Mazarinus illico hæc
 reposuit, „privatis proprium est vulgi
 „opinione regi, & semel stabilitis in-
 „sistere, Reges vero suis viribus in-
 „nixa, suum decorem ex prævalente
 „potentia, proprioque commodo me-
 „tiantur: Francia quidem armis suis
 „hostes debellare potest fortissimos, non
 „tamen Romanum Pontificem, qui Re-
 „ligionis causa omnibus venerabilis,
 „non gladio, sed consilio Romæ supe-
 „ratur: Vidimus, quod Pontifex in
 „Cardinalium inauguratione Gallos eo
 „fine exclusit, ut aucta factione Hi-
 „spanos futuri conclavis Dominos, ar-
 „bitrosque reddat; nil aliud ergo su-
 „perest, nisi ut Barberinos, & cum iis
 „omnes reliquos in sinum nostrum re-
 „cipiamus, quorum factio numero præ-
 „valens Gallos futuræ electionis Pon-
 „tificiæ participes reddet: insuper non
 „me latent foedera & amicitiae, quas
 „Barberini in Regno Neapolitano fo-
 „vent, Gallici Regni consiliis oppido
 „proficuas: Insuper Barberini immen-
 „sos pecuniarum thesauros ex Italia in
 „Franciam deferentes, classem in Etru-
 „riæ ora instruere, & Papam laceessere
 „parati sunt: offerunt quoque sexde-
 „cim centies aureorum millia, quibus
 „Rex

„Rex
 tum p
 gina
 nem
 Bagni
 coram
 sente
 rium
 voluit
 Regn
 Aulan
 Barbe
 lam
 nium
 ad R
 Ut ve
 gina
 tum
 testes
 cusab
 rinor
 stare
 clara
 de B
 tiore
 toniu
 voca
 excip
 ciscu
 stu
 que
 veni

„Rex Avenionem reluere posset:,, Tan- Sæc. XVII.
 tum prævaluere hæ rationes, ut Re- A. C. 1645.
 gina Barberinos in Regiam protectio-
 nem suscipere decerneret, simulque
 Bagnum Sedis Apostolicæ Nuntium
 coram Senatu adesse juberet, quo præ-
 sente per supremum Regni Cancellarium
 scripto & oretenus causas exponi
 voluit, propter quas Papa Reginam
 Regno infensam esse crederet: dein
 Aulam Romanam admoneri iussit, ne
 Barberinos vexaret, eoquod in tute-
 lam Regiam illos & præcipue Anto-
 nium Cardinalem recepisset, eumque
 ad Regni obsequia Parisios evocasset:
 Ut vero hanc suam declarationem Re-
 gina magis solemnem redderet, Vene-
 tum & Hetruscum Legatos tanquam
 testes invitabat; ambo vero suam ex-
 cusabant absentiam, causati, Barbe-
 rinorum causam minime ad suos spe-
 ctare Principes: Facta hac Reginæ de-
 claratione Rex data epistola Pontificem
 de Barberinis in tutelam receptis cer-
 tiorem reddidit, Mazarinus vero An-
 tonium datis literis Genua Parisios e-
 vocabat, illumque summis honoribus
 excipiebat: Sequebatur paulopost Fran-
 ciscus Cardinalis Barberinus, qui no-
 ctu unacum Præfecto Romano, tota-
 que ejus familia fugiens, Narbonam
 venit, prope naufragus; inde Parisios

Sæc. XVII. delatus pari honorum significatione re.
A.C. 1645. ceptus est.

§. LXI.

*Bellicus Gallorum apparatus contra
summum Pontificem.*

Postquam de felici exoptatæ tutelæ
successu fama Romæ increbuerat,
mox Thaddæus Barberinus Romanæ
Urbis Præfectus, omnesque Barberi-
næ Domus amici palam Gallorum cu-
telæ sese commiserant, suisque ædibus
Franciæ insignia apponi iusserant, sub
festiva acclamatione: *Vivat Francia!*
quoniam vero Galliarum Oratores, nec
non Papæ Nuntius, qui Monasterii &
Osnabrugæ promovendæ paci insuda-
bant, acrius inde utriusque partis ani-
mos exacerbari cognoscerent, Gallico
Senatui datis literis exposuere, „non
„tam de ultione in Pontificem, quam
„hujus reconciliatione cum Barberinis
„cogitandum esse; Papam enim plus-
„quam septuagenarium haud diu Gal-
„lis molestum fore, Barberinis vero
„quindecim Cardinales favere; con-
„servato igitur horum favore & amici-
„tia de futuro conclavi prospiciendum: „
Nec tamen propterea Mazarinus suæ
in Papam indignationi metas posuit:
quocirca Pontifex comperta Antonii
Cardi-

Cardinalis fuga, ejusdem dignitates & munera aliis Cardinalibus administranda commisit, ipsum vero interminatis poenis severissimis in judicium vocavit: Hæc agendi ratio plurimum displicuit Venetis, qui ab Oratore suo in Galliis agente edocti fuerant, quod Antonius in secreto quodam colloquio cum Enguinio Duce, & Gallicæ classis Archithalasso expeditionem maritimam in Italiam decrevisset: eapropter Petrum Foscarenum Romam Oratorem ablegarunt, qui Papam inter & Barberinos concordiam revocare satageret, eoquod Galli classem instruerent, non sine Principum pavore, & incremento Turcarum, qui Christianorum dissidiis freti non modo Cretam, sed & Romam invadere cogitarent. Spopondit equidem Pontifex, quod Reges per suos Nuntios ad pacem & suppetias contra Ottomanos ferendas incitare vellet: verum Galli ejusmodi legationes intempestivas & præcoces fore objecerunt; eoquod, cum Oratores Monasterii jamjam de præviis pacis articulis convenissent, ex Legatione nova Parisios decernenda Protestantibus haud immerito suspicio moveri posset, perinde ac si Galli separata cum Romanis agitent consilia: de suppetiis autem contra Turcas, prior ipsemet Innocentius

N 5

præ-

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

Sæc. XVII. præiret exemplo, cum solis verbis Bar-
 A.C. 1645. bari irritentur, non vincantur: Inter-
 rim vero urgente Mazarino Gallica
 classis, ductore Thoma Sabauda ad li-
 tora Etruriæ appulit.

§. LXII.

Pontificis diploma contra Barberinos.

Postquam Pontifex non modo Anto-
 nium, sed ceteros quoque ejus Fra-
 tres clam Roma excessisse intellexerat,
 ira commotus die quarta Decembris
 diploma contra Barberinos, & die de-
 cima nona Februarii adversus ceteros
 Cardinales in Principum Aulis degen-
 tes promulgavit, statuitque, ut „omnes
 „Cardinales, qui absque Pontificis li-
 „centia extra Pontificiam ditionem a-
 „gunt, sub interminata omnium bono-
 „rum & proventuum sequestratione, in-
 „tra semestre ad Romanam Curiam re-
 „verterentur: si vero evoluto hoc seme-
 „stri post promulgatum hoc diploma per-
 „alios sex menses non redierint, om-
 „nino his bonis privandi sint: illi vero
 „Cardinales, qui ante hoc diploma jam
 „se extra Romanam ditionem transtu-
 „lerant, si intra semestre non redierint,
 „in pœnam interdicti incidant, & te-
 „standi facultate, omnibusque privi-
 „legiis, & si contumaces fuerint, om-
 „nibus

„nibus officiis & dignitatibus exuan-
 „tur, ita ut a nullo præterquam a sum-
 „mo Pontifice, & nequidem a Sacro
 „Collegio, Sede vacante, redintegrari
 „valeant, minus vero in suæ absentiae
 „excusationem negotia vel Regum Prin-
 „cipumque mandata obtendere possint.,
 Hanc Bullam Pontifex responsi loco ad
 Galliarum Regem transmisit, qui inde
 suum honorem graviter lædi, datis de-
 nuo ad Papam, & Cardinalem Pam-
 philiū literis querebatur; insuper Ba-
 variae Elector Papam ab improvido Bar-
 berinos insectandi proposito avertere
 satagebat: quoniam vero hujus diplo-
 matis severitas non modo Barberinos,
 sed ipsum quoque Mazarinum graviter
 percelleret, hicque Gallici regiminis
 prærogativa exui, ac Romæ ad privati
 Cardinalis tenuitatem redigi vereretur,
 hinc omnem movit lapidem, ut hujus
 Bullæ executio præpediretur: Hanc
 in rem Tallonus regius Advocatus in
 publico Senatu perorare jubebatur, ut
 hoc Pontificis diploma omnino rejici
 suaderet, eoquod illud Pontifex incon-
 sulto Cardinalium Collegio promulga-
 rit, illiusque valore ultra mortem suam
 prorogato, Sacrum Collegium *Sede e-
 tiam vacante*, sua privavit auctoritate,
 ipsamque Regis Personam in Barberi-
 nis Regia tutela suffultis læserit, eun-
 dem

Sæc. XVII.
 A. C. 1645.

Sæc. XVII. dem jure asyli oppressis impendendi pri-
A. C. 1645. vare intenderit, proin hac sua agendi
 ratione schismati in Ecclesia fomitum
 subjecerit, ipsosque Barberinos non au-
 ditos, non juris, sed facti via omnibus
 suis dignitatibus bonisque spoliavit.
 Probabantur hæ rationes Regio Sena-
 tui, qui hanc Bullam non modo nullius
 valoris esse declarabat, sed insuper pe-
 cunias deinceps Romam pro Pontificis
 literis transmitti prohibebat, adjecta
 comminatione, brevi Avenionensem
 Comitatum Pontificis imperio ereptum
 iri: Nec in solis minis hæsit Regii Se-
 natus indignatio; Thomas enim Sab-
 audus cum valida classe sua appulsus,
 sancti Stephani ac Telamonis portus in
 Etruria occupavit, & Mellerous Fran-
 ciæ Marescallus lectissimo instructus a-
 gmine Portum-Longum & Plumbinen-
 sem Principatum, qui Ludovisio Pon-
 tificis Nepoti parebat, Gallicis armis
 subegit. Ad inopinam hanc expediti-
 onem tremens Pontifex, accito Car-
 dinale Grimaldo Gallis apprime addicto,
 ad veniam Barberinis indulgendam in-
 clinari cæpit, ac primo quidem præ-
 stitutum revertendi tempus prorogavit;
 postquam vero compererat, quod Fran-
 ciscus Barberinus præsentis suæ digni-
 tate, ac verborum auctoritate Gallo-
 rum & præcipue Senatus Regii animum
 a jam-

*Memoir. du
 Duc Guise
 l. 1. p. 19.*

a jamjam invalescente suspitione, per Sæc. XVII.
 inde acti Pontificis electio fuisset nulla, A.C. 1645.
 liberasset, atque a Dei Ecclesia dirum
 schisma ob publica hæc dissidia perti-
 mescendum avertens, hoc Regnum
 summo Pontifici propensum reddidisset,
 mox Papa Divinam adorans providen-
 tiam, quæ salutem ex inimicis procu-
 rare noverat, Barberinis plene recon-
 ciliatus, eisdem pristinas dignitates,
 honores, & bona restituit. Placan-
 dus adhuc supererat Mazarinus Cardi-
 nalis, qui pro suo Fratre Aquensi Ar-
 chiepiscopo Purpuram importunius sol-
 licitabat. Hunc in finem Guisus Dux
 Papam convenire jubebatur: cum vero
 recentium offensionum vulnus nondum
 firma obductum esset cicatrice, Ponti-
 fex in Mazarinum acrioribus verbis in-
 vehebatur, quem tamen Dux interpel-
 lans hæc reposuit: „Franciæ Rex cum
 „copiis suis Italiam insidet, nullosque
 „limites Mazarini auctoritati in Aula
 „ponit: Sanctitas sua tranquillum vitæ
 „suæ diem numerabit nullum, si Maza-
 „rini fratrem a Purpura excluferit, hic
 „vero hac dignitate auctus, ut Fratrem
 „suum Cardinalem suæ Sanctitati de-
 „votissimum reddat, nulli parcat la-
 „bore.” Percepto hoc responso Pon-
 tifex, restituendi Plumbinensis Princi-
 patus spe plectus, Michaeli Mazarino,
 dum-

Sæc. XVII. dummodo Romam veniret, Romanam
A. C. 1645. pollicebatur Purpuram, quam etiam
 postmodum, Duce Olympiam sibi do-
 nis conciliante, tandem impetravit:
 Thaddæus vero Barberinus, cum sese
 itineri Romam versus accingeret, in
 Galliis decessit. Ita demum modera-
 tione mutua extinctæ sunt periculosi
 hujus dissidii flammæ, quas immode-
 rator indignationis fervor accendit, &
 inconsulta mutuæ ultionis libido latius
 propagavit.

§. LXIII.

*Articuli pacis Cæsarem inter & Ra-
 gotsum Transylvaniæ Prin-
 cipem initæ.*

Orth. Chron. Jam anno superiore memoravimus,
cont. Hung. quod Ragotius Transylvaniæ Prin-
pag. 147. ceps quosdam pacis articulos Cæsareis
Jäger. Hist. Oratoribus proposuisset, retardabat ta-
Ecc. 1. 5. men maturandæ pacis solertiam con-
cap. 14. sueta hujus Principis mutabilitas; præ-
Bougeant. terquam enim, quod ineunte hoc anno
l. c. 1. 3. novas identidem, easque durissimas
p. 305. concordæ leges præscripsisset, nihil a
 nuper propositis articulis circa sectæ
 suæ libertatem, & Catholicorum op-
 pressionem remittere voluit: Insuper e-
 tiam Mense Februario rursus cum vi-
 ginti quinque suorum millibus in Mo-
 raviam

raviam movit, Olmuzium a Cæsareis Sæc. XVII.
 cinctum obsidione liberaturus: Nihilominus illum omnes sui Amici, exceptis A. C. 1645.
 Coniuge sua, Filio, aliisque paucis, ad ineundam pacem vehementer stimu-
 labant, atque inter eos Janus Kemi-
 nius gravibus oppido verbis eidem ex-
 posuit, quod Cæsar ex Hungaricis Pro-
 ceribus præcipuos jam ad sua studia
 pertraxisset, & Sueci promissam auri
 vim nonnisi vanis promissis eluderent,
 Torstensonius quoque Suecicum exer-
 citum sartum servandi studio, Posenii
 invadendi discrimen in Transylvanos
 rejecisset, bellumque nequaquam ad
 Principis foederati sui nutum gereret.
 His rationum momentis Ragotius ex-
 pugnatus, Cæsaris Legatum, quem in
 suis castris habebat, palam ad allo-
 quium admisit, suumque Oratorem
 Viennam ablegavit, ut Cæsar sequen-
 tes pacis articulos ratos habere vellet.
 I. Omnes Hungariæ Proceres, urbes
 & Pagi plena Religionis libertate gau-
 deant. II. Deinceps Præcones a suis
 Ecclesiis amoveri nequeant, amoti ve-
 ro aut revertantur, aut alii eis subro-
 gentur. III. Dissidia circa Religionem,
 & circa ereptas Ecclesias mota in pro-
 ximis comitiis dirimantur, nunc vero
 Tempia utrinque adempta pristinis pos-
 sessoribus illico reddantur, dissidia au-
 tem

Sæc. XVII. tem impofterum circa utriusque partis
A. C. 1645. religionem emergentia Cæfar sine Pro-
 testantium præjudicio in quovis Pro-
 cerum conventu decidat. IV. Hujus
 articuli transgressores severe puniantur.
 V. Cetera circa Ecclesiasticos, Jesui-
 tas, decimas, copiarum exauctora-
 tionem, officiorum distributionem &c.
 in proximis comitiis intra trimestre ce-
 lebrandis stabiliantur. Denique VI.
 Plena omnium criminum oblivio, &
 bonorum restitutio indulgeatur. Fir-
 matis utrinque hisce articulis Ragotſii
 Oratores Vienna domum reversi sunt,
 Ragotſius autem, coram Torstenſonio
 illum objurgante, hanc pacis negotia-
 tionem excusabat, obtento Turcici Im-
 peratoris mandato, ne diutius hæredi-
 tarias Austriacæ Domus Provincias in-
 festaret, pacemque inire cunctaretur.
 Pollicebatur tamen Ragotſius Torsten-
 ſonio, quod validum exercitum in ar-
 mis tenere meditaretur, ut Cæsarem,
 quem hosce articulos haud adimpletu-
 rum prospiceret, ad illorum executio-
 nem armis adigere, & pro temporis,
 rerumque opportunitate bellum redin-
 tegrare posset. Enimvero Torstenſo-
 nius hisce dictis fidem non habuit, Ra-
 gotſius tamen, dum Torstenſonium cum
 milite suo Viennam usque populabun-
 dum excurrere compererat, tempore
 inset-

inferviens, sex suorum millia Duglassio Sæc. XVII.
 Sueco Belliduci junxit, & renovato A. C. 1645.
 fœdere cum Antonio Croyssio Fran-
 ciæ Legato, Tyrnaviam interceptit, ex
 qua tamen urbe Cives Catholici Sue-
 cos præfidiarios expulerunt, Ragotsii
 vero Filius denuo eam recuperavit, &
 cum octo armatorum millibus in Mora-
 viam contendit. Postquam vero Ra-
 gotsius Pater suæ ac Duglassianæ legio-
 nis, necnon trecentorum Hungarorum
 cladem prope Gœdingam passus erat,
 tandem serio pacem petere incipiebat,
 quam etiam eo proclivius, quo fortius
 totis viribus bello Suecico insistere pa-
 raret, a Cæsare impetravit, sancitis
 hisce legibus. I. Oppelium & Rati-
 boriam unacum septem Hungariæ Co-
 mitatibus Ragotsio ad dies vitæ ce-
 dantur. II. Omnes Ecclesiæ ad sta-
 tum, quo anno hujus sæculi decimo
 octavo erant, redigantur. III. Ragot-
 sius pro Imperii Principe habeatur.
 IV. Cetera gravamina & postulata in
 proximis comitiis dirimantur. Hæc
 pax die vigesima quarta Augusti ubi-
 que promulgabatur: habita autem il-
 lius notitia nec in Monasteriensi, nec
 Osnabrugensi Conventu amplius de
 Ragotsio, ejusque petitis actum est.

Sæc. XVII.

A. C. 1645.

§. LXIV.

Quidam Antonii Arnaldi liber de simultaneo SS. Petri & Pauli Primatu Romæ damnatus.

*Argentre
Collecti Jud.*

t. 3. p. 248.

Jäger. Hist.

Eccl. l. 5.

cap. 3.

Novum in Romana Ecclesia contenti-
onis argumentum hoc anno sup-
peditabat Antonius Arnaldus Doctor
Sorbonicus, qui Parisiensibus literis
excusos vulgabat duos libros, quorum
primum de *Excellentia Romanæ Ecclesiæ*
auctoritate SS. Petri & Pauli stabilita,
alterum de auctoritate SS. Petri & Pauli,
quæ in Papa utriusque Apostoli Successore
residet, inscripsit, & in utroque libello
æqualem supremi Capitis auctoritatem
tam Divo Petro, quam Paulo vindicare
nisus est. Adversus hanc opinionem
mox insurrexere quamplurimi,
atque inter eos præcipue Rodericus ab
Arriaga Pragensis Cancellarius, Isaccus
Habertus, Petrus a S. Joseph, Augustinus
de Bellis, Petrus de Marca, Theophilus
Raynaudus S. J. Antonius Vatier, pluresque
alii: nec tamen Arnaldo deerant insulsæ
suz doctrinæ vindices; non enim adeo
absona reperitur sententia, quæ, si nova
est, suos non inveniat Patronos; ita non
pauci calamum adversus Arnaldi adversarios
acuebant, præprimis questi, quod Arnaldo

naldo aliam mentem affingant, perinde Sæc. XVII.
 ac si is Primatum Cathedræ Divi Petri A. C. 1645.
 in utrumque dividat, ejusque unita-
 tem destruat, cum tamen nonnisi uni-
 cum Primatum, unam solam dignita-
 tem Pontificiam, unamque solam Ca-
 thedram in duobus subjectis & Capiti-
 bus, nonnisi unum constituentibus a-
 gnoverit. Ut vero suæ interpretationi
 veritatis speciem adderent, vehemen-
 ter in P. Billium Jesuitam inveheban-
 tur, eumque schismaticum appellita-
 bant, eo quod in sermone quodam de
 SS. Petri & Pauli auctoritate art. 2.
 pag. 9. docuisset, „quod sæpe Ecclesia
 „plures habuerit Papas, atque eadem
 „hodie dum plures ejusdem potestatis
 „& Primatus divisim, utpote unum
 „in Oriente, alterum in Occidente ha-
 „bere queat. „ Postquam vero Arnal-
 dini libri ad summi Pontificis tribu-
 nal fuerant delati, re diu ac mature
 discussa Innocentius X. hoc anno die
 vigesima quinta Januarii edita Bulla
 novum hunc errorem damnavit, ejus-
 que jussu sacra Generalis Romanæ &
 Universalis Inquisitionis Congregatio
 utrumque Arnaldi libellum eadem die
 biennio post proscriptis libris accensuit
 edito hoc decreto: *Sanctissimus relata
 unanimi Theologorum ad hoc specialiter de-
 putatorum censura, Et auditis votis Emi-
 nentissi-*

Sæc. XVII. *sententiarum & Reverendissimorum DD.*
A. C. 1645. Cardinalium Generalium Inquisitorum,
propositionem hanc (S. Petrus & Paulus
sunt duo Ecclesiæ Principes, qui uni-
cum efficiunt: vel sunt duo Ecclesiæ
Catholicæ Coriphæi ac supremi Duces
summa inter se unitate conjuncti; vel
sunt geminus universalis Ecclesiæ ver-
tex, qui in unum divinissime coalue-
runt: vel sunt duo Ecclesiæ summi
Pastores ac Præsides, qui unicum ca-
put constituunt) ita explicatam; ut po-
nat omnimodam æqualitatem inter S. Pe-
trum & S. Paulum, sine subordinatione &
subjectione S. Pauli ad S. Petrum in pote-
state suprema de Regimine universalis Eccle-
sie, hæreticam censuit & declaravit.

Adversus hoc Romanæ Inquisitionis decretum prodiit libellus, qui jussu Ludovici XIV. Franciæ Regis eodem anno die sexta Maij per carnificem Parisiis igne combustus est: Rodericus quoque Arriaga Pragensis Cancellarius novam hanc hæresin egregie confutabat, demonstrans, „quod Arnaldistæ „sub obtentu reverentiæ in D. Paulum „duo visibilia Ecclesiæ Capita consti- „tuunt, ut eo facilius unius visibilis „Capitis auctoritatem evertant, sicuti „hæretici ideo liberum arbitrium ne- „gant, ut liberior in omnes spurcicias „sine reprehensione se volutare valeant,

„& Christi Vicarium negant, ut facilius Sæc. XVII.
 „in oves Christi Pastore destitutas graf- A. C. 1645.
 „fari possint. His prælibatis Arriaga
 Arnaldistarum argumenta refellens,
 ostendit, quod hi nonnisi ex infirmo
 fundamento D. Paulo (a) Primatum
 attribuant, cum illum ex ejusmodi ra-
 tionibus æque D. Joanni, ceterisque
 Apostolis attributum fuisse, adstrui pos-
 set: „Primatum, inquit Arriaga, con-
 „cessum tu dicis Paulo, ego dicam
 „Joanni uti dilectissimo, tertium Barnabæ
 „simul cum Paulo a Spiritu sancto in
 „opus Evangelii segregato, quis ex
 „nobis melius discurret? Duo nobis
 „suggerunt S. paginæ pro Primatu Pe-
 „tri aperta Testimonia; alterum Matth.
 „16. Joannis ultimo alterum: hæc ta-
 „men etiam post innumeras & gravis-
 „simas Sanctorum Patrum in eum sen-
 „sum explicationes, post omnium fere
 „Conciliorum tam Generalium quam
 „particularium approbationes, post
 „constantissimam totius Ecclesiæ tradi-
 „tionem, adhuc hæreticis nostri tempo-
 „ris obscura videntur, nec fateri volunt,
 „Petrum cæterorum Apostolorum fuis-
 „se caput; & tamen Adversarii nullo
 „Testimonio fulti, omni PP. explica-
 „tione destituti contra totam tam Ca-
 „tho-

O 3

(a) Ad Gal. 2. v. 9. & II. 2. Cor. 2. Joann.
 11. I. Cor. 9. 17. 2. Cor. 12.

Sæc. XVII. „tholicorum, quam etiam hæreticorum
A. C. 1645. „traditionem persuadere audent, ean-
 „dem Paulo traditam in reliquos Apo-
 „stolos jurisdictionem, illi dictum, su-
 „per hanc Petram ædificabo Ecclesiam
 „meam; illi post interrogationem tri-
 „nam traditum a Christo gregem,
 „*pascite oves meas.*„

Quoniam vero Arnaldistæ sua ar-
 gumenta ex reprehensione Pauli, va-
 riis ejusdem Apostoli textibus epistolæ
 ad Galatas & Corinthios, necnon ex
 Pontificum, Patrumque æqualitatem
 indicantium testimoniis petebant, hinc
 Arriaga primo ex ista reprehensione
 Arnaldistis, quod D. Paulum omnino
 Petro *superiorem* statuerent, objecit:
 I. „quod inferior sicut in superiorem
 „non exercet jurisdictionem, ita neque
 „par in parem; si autem reprehensio-
 „nis nomine non Jurisdictio, sed ad-
 „monitio aliqua severitate & acrimonia
 „permixta, qua par in parem uti pos-
 „sit, intelligatur, eadem certe ratione
 „fateri necessum esset, eam quoque in su-
 „periores cadere posse: An non enim
 „Reges & ipsos Imperatores Consiliarii
 „reprehendere solent passim? an non
 „Concionatores passim in Cathedris e-
 „tiam Episcoporum minus bene facta
 „reprehendunt? An non Christi Præ-
 „cursor Herodem, cui ut Magistratui
 „suo

„suo subjectus erat, arguit propter He- Sæc. XVII.
 „rodiadem? An non Jeremias, Eze- A. C. 1645.
 „chiel, Esaias, cæterique Prophetæ
 „Principum Regumque suorum errata
 „asperrimis etiam verbis passim casti-
 „garunt? *Secundo*, ostendit nihil ha-
 „beri v. 9. de Primatu Pauli; Filium
 „enim in divinis non esse majorem Pa-
 „tre, quia honoratiorem illo locum ob-
 „tineat, Pater sinistram, dextram Filius:
 „quocunque ergo loco Petrus nomine-
 „tur, Principem esse Ordinis Aposto-
 „lici; fortassis autem ideo, dum de
 „adventu suo Hierosolymam egit,
 „Paulus primum locum tribuit Ja-
 „cobo, quia proprius fuit Urbis illius
 „Episcopus; esse præterea auctores ait,
 „qui per Cephæ ibi non intelligunt Pe-
 „trum, PP. quamplures, Chrysosto-
 „mus, Hieronymus, Augustinus in
 „hac ipsa Epistola primum locum tri-
 „bunt Petro; denique etsi semel pona-
 „tur hic secundo loco Petrus, constan-
 „ter tamen ab Evangelistis, & in aliis
 „Apostolorum Scriptis, cum numeran-
 „tur Apostoli, omnium primus Petrus
 „nominatur: Et quamvis tres illi Apo-
 „stoli dicantur columnæ, neque men-
 „tio fiat illius Primatus Petri, tamen
 „nihil juvat Adversarios, qui rece-
 „dunt ab Hæreticis aliis, neque si tres
 „recenseantur, æqualitas innuitur; an,
 „suo

Sæc. XVII. „quia brutum & homo animalia dicantur,
 A. C. 1645. „tur, continuo sint paria? an omnes
 „columnæ æquales? quid de Jeremia
 „dicendum. qui columna ferrea appel-
 „latur cap. i. *Tertio*, dextrarum jun-
 „cturam nullam æqualitatem indicare,
 „demonstrat Arriaga, tum quia ita Pe-
 „trus nequidem Jacobo & Joanne fuit
 „set Superior; tum quia saltem admis-
 „sionem ad Evangelii prædicationem
 „designet illius, qui antea hostis fuerit
 „Ecclesiæ; tum quia dextra possit pro-
 „prie accipi, & porrectio illius exponi
 „de signo sinceræ & amabilis salutatio-
 „nis. Tandem ad postremum locum
 „respondet: Modestiam Pauli non per-
 „misisse, ut, si etiam concessa fuisset
 „Oecumenica potestas, illius fuisset
 „præco aut buccinator: Si unicum
 „constituerit cum Petro caput, cur nunc
 „media tribuatur Petro, altera media
 „Paulo Ecclesiæ? Pauli primatum ut-
 „pote in gentes sic statui longe nobilio-
 „rem & ampliorem, cui se & similes
 „ex Atheismo subicere velit? Mentio-
 „nem quoque fieri Barnabæ, an ita-
 „que Barnabas dicendus sit tertium ca-
 „put Ecclesiæ? an Paulus & Joannes
 „æquiparandi Petro in Jurisdictione
 „Ecclesiastica? „

Secundo examinat Arriaga loca ex
 Epistolis ad Corinthios, & ad primum
 dicit:

INNOC.

dicit:

„Conci-

„storis

„ex ju

„infirm

„misso

„ris &

„non f

„eoden

„cere p

„omni

„& Ju

„terra

„risdi

„Epist

„tuisse

„suaru

„ter p

„num

„popu

„gum

„terje

„cap.

„Præl

„quia

„diste

„se p

„doce

„tro f

„se;

„juxt

„stoli

dicit: „Illum sollicitudinem Pauli fuisse **Sæc. XVII.**
 „Concionatoris & Doctoris, non Pa- **A. C. 1645.**
 „storis, fuisse ex Zelo & Charitate, non
 „ex iustitia, quod verba docent: Quis
 „infirmatur, & ego non infirmor? Ad-
 „misso etiam sollicitudinem illam Pasto-
 „ris & iustitiæ fuisse, non tamen illam
 „non fuisse Petro subordinatam, cum
 „eodem tenore Jacobus & Joannes di-
 „cere potuerint, se premi sollicitudine
 „omnium Ecclesiarum, Jacobum sane
 „& Judæis, omnibus per universum
 „terrarum orbem dispersis tanquam ju-
 „risdictionem in illos habentem suas
 „Epistolas misisse, & dicere proin po-
 „tuisse, se sollicitudine omnium Eccle-
 „siarum premi, *secundo* ostendit: pari-
 „ter posse accipi locum ex 1. Cor. 9. &
 „num non posset colligi, Esaiam fuisse
 „populi similiter Pontificem? si hoc ar-
 „gumentum subsistat, quia eadem in-
 „terjectione, qua Paulus, exclamaverat
 „cap. 6. *Væ mihi, quia tacui*: An soli
 „Prælati teneantur evangelizare, imo
 „quia ipsi in gubernatione subditorum
 „distenti maxime soleant esse, minus
 „se prædicationi tradere posse. *Tertio*,
 „docet Paulum, 2. Cor. 12. non se Pe-
 „tro soli, sed aliis Apostolis æquiparaf-
 „se; non itaque egisse de primatu, qui
 „juxta ipsos adversarios non aliis Apo-
 „stolis, sed soli Petro commissus fue-
 „rit:

Sæc. XVII. „rit: agere ergo Apostolum meliorem
A. C. 1645. „Logicum Adversario: dum in termi-
 „nis formalibus, & in ratione Apostoli
 „se dicit, jure merito non fuisse ullo
 „minorem. „

§. LXV.

*Facultatis Theologicæ Parisiensis cen-
 sura in Præfationem ad librum
 IV. Patris Caussini
 Jesuitæ.*

*Argentre
 l. c. p. 57.*

Edidit P. Nicolaus Caussin Jesuita
 tomum sextum libri sui, cui titu-
 lus: *Aula Sancta*, die autem secunda
 Octobris Ludovicus Messierus Doctor
 Sorbonicus in publicis comitiis retulit,
 quod huic tomo præfixa esset præfa-
 tio, in qua multa falsa, & contra ipsius
 Universitatis honorem & decus contine-
 rentur: quoniam vero huic operi Blon-
 dellus & Hallierus Doctores Sorbonici
 subscripti legerentur, hinc publicis co-
 mitiis, an huic etiam præfationi sub-
 scripissent, interrogati, ambo publicum
 desuper testimonium produxere, hu-
 jus tenoris: „Nos infra scripti in sacra
 „Theologiæ facultate Parisiensi Docto-
 „res testamur omnibus, quorum inter-
 „est, aut interesse poterit, legisse qui-
 „dem & approbasse librum, qui inscri-
 „bitur Tomus VI. *Aulæ Sanctæ* Autore
 „Caus-

„Causino Jesuita. Præfationem vero, **Sæc. XVII.**
 „quæ huic libro præfigitur, nec vidis- **A. C. 1645.**
 „se, nec probasse, antequam typis
 „mandaretur; imo, quamprimum no-
 „bis innotuit, eam tanquam Universi-
 „tati injuriosam, veritati parum conso-
 „nam & scandalosam improbavimus &
 „improbamus, in cuius rei fidem præ-
 „sentibus subscripsimus. Parisiis die
 „tertia mensis Novembris, anni Do-
 „mini millesimi sexcentissimi quadra-
 „gesimi quinti.,,

Joannes Blondellus & Hallierus.

§. LXVI.

*Dubia circa novam conversionem, &
 Christianos Sinenses sacrae Con-
 gregationi de Propaganda
 Fide proposita.*

Jam anno Christi millesimo quingente- **Nouv. Re-**
 simo octogesimo quinto Gregorius **cueil des**
 Papa XIII. die vigesima octava Januarii **Affair. du**
 sanxerat, ne præter Societatis Patres **Clerg. de**
 alii Religiosi ad Chinæ & Japoniæ Pro- **France t. I.**
 vincias Evangelicæ Prædicationis caus- **Relat. de la**
 sa proficiscerentur; inde autem factum, **Persec. de**
 ut nemine obsistente quidam ritus, qui **la Chine**
 tamen superstitionem gentilem redolere **Bull. magn.**
 videbantur, Sinensibus Neophytis im- **Const. Gre-**
 pune concederentur: postquam vero **gor. XIII.**
& Clemens
VIII. Const.
Cle-44.

Sæc. XVII. Clemens VIII. omnibus Mendicantium
A. C. 1645. Ordinum Religiosis amplam ad omnia
 Indiæ Orientalis regna proficiscendi fa-
 cultatem indulserat, & ex PP. Domi-
 nicanis, Franciscanis, & Carmelitis
 non pauci ad Apostolicos hosce labo-
 res generoso periculorum contempta
 excurrerant, confestim non modo hi
 Patres, sed ex ipsis etiam Jesuitis non-
 nulli, hosce ritus, utpote supersticiosos
 & Idololatricos neo-conversis indul-
 geri haud posse contendebant, Jesuitis
 illos nonnisi *politicos* esse, acriter pro-
 pugnantes. Tenebat hæc discepta-
 tio ab anno hujus sæculi trigesimo pri-
 mo usque ad annum quadragesimum,
 quo utrinque conventum, ut duo Viri
 Apostolici P. Joannes Baptista Morales
 Dominicanus, & P. Antonius a S. Ma-
 ria ex Ord. S. Francisci Romam able-
 garentur, ut desuper summi Pontificis
 decisionem impetrarent. Horum po-
 stremus in itinere suo interceptus, A-
 macaoi in vincula conjiciebatur, Pater
 Morales vero perruptis difficultatibus
 pene innumeris, superatisque variis
 obstaculis ac insidiis tandem Romam
 pervenit, ubi summo Pontifici unacum
 dubiis circa hosce ritus propositis li-
 bellum supplicem porrexit, hujus
 tenoris :

„Fra.

„Frater Joannes Baptista Morales Sæc. XVII.
 „Ordinis Prædicatorum, Procurator A. C. 1645.
 „generalis Provinciæ SS. Rosarii Phi-
 „lippinarum, & in Regno Chinarum
 „Missionarius, ad sedandas conscientias
 „Ministrorum, qui sunt in prædicto re-
 „gno, ne in illa vinea operarii in va-
 „cuum laboremus, & ne demus occa-
 „sionem ruinæ spiritualis animabus il-
 „lorum Neophytorum; quæ quidem
 „ruina orta est jam ex controversiis, &
 „variis quæstionibus, quas habent
 „PP. SOCIETATIS JESU contra Re-
 „ligiosos Dominicanos & Franciscanos
 „in illo regno fructui animarum operam
 „dantes, non attendentes prædicti PP.
 „SOCIETATIS JESU constitutionem
 „S. D. N. P. Urbani divina Providentia
 „Papæ octavi factam Anno Domini
 „1633. In qua omnibus sancti Evan-
 „gelii Ministris, in istis regionibus com-
 „morantibus his verbis præcepit. „ Re-
 „ligiosos vero, inquit; ut supra mit-
 „tendos, ac jam missos, & in præfa-
 „tis locis degentes plurimum in Domi-
 „no hortamur, ut in docendo populos
 „& præsertim de recenti ad fidem
 „Christianam conversos uniformes sint,
 „ne ob doctrinæ diversitatem, præser-
 „tim in materiis moralibus, Neophyti
 „illi aliquod scandalum patiantur, quæ
 „quidem controversiæ magnopere mi-
 „litant.

Sæc. XVII. „litant contra nostram fidem Catholi-
A. C. 1645. „cam, bonos Mores, & animæ Salu-
 „tem.,, Rogo, inquam, nomine utrius-
 „que Religionis Dominicanæ scilicet &
 „Franciscanæ, ut infra scriptæ inter-
 „rogationes, seu dubitationes a S. Se-
 „de Apostolica discutiantur, terminen-
 „tur, & definiantur, & per Breve
 „Apostolicum omnibus Ministris in illo
 „regno Verbum Dei disseminantibus
 „strictè præcipiatur, quid tenendum,
 „sequendumve sit, ita, ut non rema-
 „neat locus alicui Ministrorum super
 „hoc deinceps opinandi, mutandi, ad-
 „dendi, vel minuendi, quia ex hoc
 „pendet totalis bona educatio, & in-
 „tegritas Fidei Catholicæ inter illas
 „gentes. Dubitationes vero, quæ pro-
 „ponuntur, hæ sunt.

§. LXVII.

Decisiones dubiorum Sacræ Congregationi exhibitorum.

Recueil l. c. **D**ubia a Sinensibus Missionariis expo-
 sita Innocentius X. Papa Sacræ
 Congregationi de Propaganda fide pro-
 posuit, a qua postmodum ad Sanctum
 Officium transmissa, & ab ejusdem Tri-
 bunalis, ut vocant, Qualificatoribus
 diu & mature discussa fuerunt, quorum
 tandem decisiones hoc anno die duo-
 decima

decima Septembris ex speciali summi Pontificis mandato per ejusdem Sacrae Congregationis decretum approbatæ sunt: Subjungimus ipsis dubiis præfatæ Congregationis responsa, prout Romæ eodem hoc anno ex typographia Sacrae Congregationis de Propaganda fide prodierunt: Erant autem sequentia dubia:

I. „In primis quæritur, utrum Christiani Chineses sint obligati ad observationem juris positivi, quantum ad jejunia, confiteri semel in anno, & communicare, festa servare eo modo, quo obligantur Indi in nova Hispania, & in insulis Philippinarum, juxta dispositionem Papæ Pauli III. pro Indis Occidentalibus & Meridionalibus? „

Censura. „Jus positivum Ecclesiasticum de jejniis absolute obligare Chineses Christianos, & a Missionariis hoc esse illis enuntiandum. Attenta vero Regionum & Personarum qualitate locum esse, si Sanctissimo placuerit, dispensationi, quæ fuit alias a Fel. recordationis Paulo III. Indis concessa, qua obtenta satagant Missionarii, sanctæ Matris Ecclesiæ pietatem illis patefacere, quibus ea, quæ in universum indixit, magna ex parte benigne remittit, & indulget. „

Censue-

Sæc. XVII.

A.C. 1645.

Censuerunt etiam, præfatos Chinen-
ses obligari ad Sacramentalem Confes-
sionem semel in anno, & Missionarios
hujusmodi obligationem eis notificare.

Idem prorsus censuerunt quoad sacram
Communionem semel in anno sumen-
dam. Quo vero ad executionem tem-
pore statuto, hoc est in Paschate, id
esse intelligendum, nisi legitimum ad-
sit impedimentum, aut grave pericu-
lum immineat. Curandum tamen, ut
infra duos vel tres menses ante vel
post Paschati proximos, quatenus sine
discrimine fieri possit, sin minus, alio
quovis tempore infra decursum unius
anni a Paschate inchoandi omnino
communicent.,

Demum censuerunt, Chinenfes ad fi-
dem conversos teneri omnino festa ser-
vare, Missionarios etiam teneri, hoc
eis notificare: locum tamen esse, si
Sanctissimus annuat, limitandi eis
numerum festorum juxta formam pri-
vilegii a Paulo III, Indis concessi.

II. *Queritur*, „utrum in prædicto
regno Ministri Evangelii (pro nunc
saltem) in Sacramento Baptismi pos-
sint abstinere ab imponendo mulieri-
bus oleum sanctum Cathecumenorum,
sputum in auribus. & sal in ore, in-
super & non administrare eisdem mu-
lieribus Sacramentum extremæ Un-
ctionis?

„ctionis? Et ratio dubitandi est, quia Sæc. XVII.
 „Chinenses magno Zelo ducuntur erga A. C. 1645.
 „uxores, filias & alias mulieres, &
 „scandalum fument ex ejusmodi a-
 „ctionibus.,

Censura. „Et Sacramentalia in Ba-
 „ptismo mulierum esse adhibenda, &
 „extremam unctionem esse mulieribus
 „conferendam, nec sufficere motivum
 „in dubitatione expressum, ut Missio-
 „narii, quantum in se est, ab his ab-
 „stineant. Curandum ergo, ut tam
 „salubres ritus & Ceremoniæ introdu-
 „cantur, & observentur; ac Missiona-
 „rii tali circumspectione illa admini-
 „strent, hominesque talibus instruant
 „documentis, ut ab omni suspicione
 „inhonestatis liberentur.,

III. „In præfato regno lege stabili-
 „tum est, ut in mutuo triginta pro
 „centum accipiantur absque respectu
 „lucris cessantis & damni emergentis.
 „Quæritur, utrum Christianis sit licitum
 „pro pecuniarum suarum mutuo, licet
 „non interveniat lucrum cessans aut
 „damnum emergens, prædictam tri-
 „ginta pro centum quantitatem regni
 „lege taxatam accipere: Et causa du-
 „bitationis est, quia in recuperanda
 „pecunia est aliquod periculum, scili-
 „cet quod, qui accipit mutuatum, fu-
 „giat, vel quod tardet in solvendo,
 „vel

Hist. Eccles. Tom. LXI.

P

Sæc. XVII. „vel quod necessarium sit coram judi-
 A. C. 1645. „ce repetere, vel propter alia ejus-
 „modi? „

Censura. „Ratione mutui immedia-
 „te & præcise nihil esse accipiendum
 „ultra sortem principalem: Si vero ali-
 „quid accipiant ratione periculi proba-
 „biliter imminentis, prout in casu,
 „non esse inquietandos, dummodo ha-
 „beat ratio qualitatis periculi, &
 „probabilitatis ejusdem, ac servata pro-
 „portione inter periculum & id, quod
 „accipitur. „

IV. „In universo Chinorum regno
 „domos publicas usuris deputatas re-
 „periri, res est usitata, in quibus usu-
 „rarii publici facta sub pignoribus cau-
 „tione pecuniam suam sumpto lucro ad
 „usuram dare solent, ea tamen condi-
 „tione, ut pro uno ducato singulis men-
 „sibus tantum quid accipiant, & si
 „tantis elapsis annis pignorum Domi-
 „nus pro iisdem pignoribus recuperan-
 „dis, soluta principali pecunia, cum
 „lucro non redierit, actionem & do-
 „minium, quod habet in suis pignori-
 „bus, illico amittat. Istæ autem do-
 „mus Reipublicæ necessariæ sunt, &
 „quamvis usurarii vitam usurariam di-
 „mittere velint, a non desistendo a præ-
 „dictis usuris iudicis auctoritate com-
 „pelluntur. *Queritur, utrum, si hujus-*
 „modi

„modi usurarii converti velint ad fidem. Sæc. XVII.
 „possint baptizari manendo in suo statu A.C. 1645.
 „usurario, propter causam prædictam,
 „vel quidnam in tali casu agendum sit? „

Censura. „Chinenses in statu usura-
 „rio permanentes baptizari non posse;
 „si vero iudicis auctoritate compellan-
 „tur ad proprias pecunias mutuandas,
 „posse aliquid accipere, etiam recepto
 „pignore ultra sortem principalem, tum
 „ratione oneris, quod subire coguntur,
 „tum ratione curæ in custodia pigno-
 „ris, lucris quoque cessantis, & damni
 „emergentis: Tempore autem præsti-
 „tuto, si ex venditione pignorum a-
 „liquid supersit forti principali, & lu-
 „cro ex causis prædictis iuste acqui-
 „sito, Domino pignoris esse resti-
 „tuendum. „

V. „*Utrum* prædictorum usurario-
 „rum filii, si quando in eorum hæredi-
 „tatibus succedunt, jam Christiani exi-
 „stunt, teneantur ad restitutionem eo-
 „rum, quæ Pater ex usuris accepit, in
 „toto vel in parte juxta male accepto-
 „rum excessum, & si hujusmodi usu-
 „rariorum filii hæredes jam Christiani
 „a Republica, vel a iudice compellan-
 „tur ad publicas usurarum domos pa-
 „trum aperiendas, & sustentandas, quid
 „in hoc casu Ministri Evangelii pro sa-
 „nan-

Sæc. XVII. „nandis istorum conscientis facere de-
A. C. 1645. „beant? „

Censura. „Filios hæredes usurario-
rum teneri a Patribus ex usuris illi-
cite acquisita restituere, certis tamen
Dominis, si certi sunt, fin minus,
juxta regulas a Doctoribus traditas:
Actualem vero restitutionem a doctis,
piis, & prudentibus viris esse diri-
gendam. Quoad secundam partem
hujus dubitationis jam responsum est
in proxime superiori resolutione. „

VI. „In populis & civitatibus illius
regni mos est imponendi quasdam di-
tributiones, quæ a populis vicinis
exiguntur ut in pascha novi anni: In
sacrificiis & dæmoniorum suorum ido-
latriis, invitationibus, conviviis in
eorum templis præparatis, simulque
in festivitibus, aliisque indifferenti-
bus pro populi lætitiæ demonstratio-
nibus expenduntur. *Quæritur*, utrum
Christianis ac Ministris eorum, a qui-
bus etiam tanquam a populi vicinis
postulant, licitum sit (pro nunc sal-
tem) pro hujusmodi rebus contribue-
re, nam si Christiani ad hoc non con-
tribuerint, tumultus aliquis contra
Christianos inter gentiles fiat. „

Censura. Posse Christianos Chinen-
ses pecunias contribuere, dummodo
per hujusmodi contributiones non in-
ten-

„tendant ad actus idololatricos & su- Sæc. XVII.
 „perstitiosos concurrere, supposita caus- A. C. 1645.
 „sa, quæ narratur in dubio; præsertim
 „præmissa, si commodè fieri potest,
 „protestatione, quod imposita tributa
 „præstant in ordine tantum ad populi
 „lætitiâ, & ad actus indifferentes,
 „vel saltem cultui Religionis Christia-
 „næ non repugnantes.,

VII. „In omnibus regni illius civi-
 „tatibus & villis templa cuidam idolo
 „CHIM-HOAM dicto erecta ac dicata
 „reperiuntur, quod Chineses fingunt
 „esse protectorem, regentem & custo-
 „dem civitatis stabilitaque regni lege
 „ordinatur, ut omnes gubernatores ci-
 „vitatum & villarum (quos MANDA-
 „RINOS vocant) quando regiminis
 „possessionem assumunt, & anni decursu
 „bis in mense sub pœna privationis ab
 „officio templa adeant prædicta, ibique
 „ante dicti idoli altare prostrati, geni-
 „bus flexis, capiteque ad terram us-
 „que inclinato idolum illud adorent ac
 „venerentur, eidem candelas, orna-
 „menta, flores, carnes, vinumque in
 „sacrificium offerant, & cum sui regi-
 „minis possessionem accipiunt, ante
 „prædictum idolum jurant de recte ad-
 „ministrando, & si contra fecerint, se
 „submittunt supplicio ab idolo infligen-
 „do, simulque ab eo petunt modum

P 3

„&

Sæc. XVII. „& normam bene gubernandi, & alia
A. C. 1645. „hujusmodi. *Quæritur*, utrum attenta
 „istius gentis fragilitate tolerari possit
 „(pro nunc) quod tales gubernatores
 „Christiani deferant quamdam crucem,
 „quam occulte inter altaris idoli flores,
 „vel in manibus reponunt propriis, &
 „facere intentione non ad idolum, sed
 „ad crucem directa omnes illas genu-
 „flexiones, reverentias, & adoratio-
 „nes ante altare illud exterius & tan-
 „tum fite, omnem cultum interius &
 „in corde ad crucem dirigendo: quia
 „si hujusmodi gubernatores cogantur
 „ad hoc non faciendum, potius apo-
 „statabunt a fide, quam relinquant of-
 „ficiū regiminis.,

Censura. „Nullatenus licere Chri-
 „stianis hujusmodi actus publicos cul-
 „tus aut reverentiæ tribuere idolo, præ-
 „textu vel intentione crucis, quam vel
 „manu gestant, vel in altari inter flo-
 „res abscondunt.,

VIII. „In prædicto regno habent
 „Chinenses quemdam Magistrum in
 „Philosophia morali litteratum, qui
 „olim decessit a vita, vocatum KVM
 „FV CV, qui ob doctrinam regularum
 „& documentorum adeo in toto regno
 „acceptus est, ut tam Reges, quam
 „omnes alii cujuscunque conditionis &
 „gradus sint, sibi proponunt imitandum
 „&

„& sequendum saltem quoad specula-
 „tivam, & tanquam sanctum veneran-
 „tur & laudant, in omnique civitate
 „& villa prædicto Magistro templa sunt
 „erecta: Gubernatores vero bis in an-
 „no tenentur in ejus templo solemne sa-
 „crificium offerre Sacerdotis ipsimet ge-
 „rentes officium; & sine solemnitate
 „anni decursu bis in mense, concur-
 „runtque cum illo aliqui ex litteratis
 „pro administratione eorum, quæ in
 „tali sacrificio offerunt, quæ quidem
 „sunt sus unus integer mortuus, capra
 „una integra, candelæ, vinum, flores,
 „odores, &c. Item litterati omnes,
 „quando accipiunt gradum, debent in-
 „gredi templum istius Magistri, & fa-
 „cere genuflexiones, & offerre ante
 „ejus altare ex candelis & odoribus.
 „Totus iste cultus, sacrificium & re-
 „verentia secundum omnium illarum
 „gentium formalem intentionem diri-
 „gitur in gratiarum actionem pro bonæ
 „ipsis relictæ doctrinæ documentis, at-
 „que ut ab eo impetrent ex ipsius me-
 „ritis optimi ingenii felicitatem sapien-
 „tiæ & intellectus. *Queritur*, utrum
 „Gubernatores, qui Christiani sunt vel
 „fuerunt, & litterati, vocati & coacti
 „possint præfatum templum ingredi,
 „facere tale sacrificium, vel assistere
 „ejusmodi sacrificio, vel facere genu-
 „flexio-

Sæc. XVII.
 A. C. 1645.

Sæc. XVII. „flexiones ante altare illud, vel acci-
A. C. 1645. „pere aliquid de idolothytis & oblatio-
 „nibus illis, maxime quia putant illi
 „infideles, quod, quicumque mandu-
 „caverit ex talibus idolothytis, habe-
 „bit progressum maximum in suis litte-
 „ris & gradibus, & si portantes cru-
 „cem in manibus possint licite hoc fa-
 „cere, eo modo, quo superiori dubita-
 „tione dictum est? quia si hoc illis pro-
 „hiberetur, erit tumultus in populo,
 „Ministri Evangelii in exilium mitten-
 „tur, & conversio animarum impe-
 „diatur, & extinguetur.”

Censura. „Non licere, nec posse ali-
 „quo prætextu contenta in dubio Chri-
 „stianis permitti.”

IX. „Inviolabilis observantiæ mos
 „est apud Chineses tanquam doctrina
 „a supra dicto Magistro KVM FV CV
 „tradita, quod in omnibus Chinæ po-
 „pulis templa constructa habeant Avis
 „& Progenitoribus suis defunctis dicata,
 „& in unoquoque eorum, omnes, qui
 „ejusmodi familiæ sunt, bis in anno
 „congregantur, ut præfatis suis Pro-
 „genitoribus solemnia Sacrificia faciant
 „magno Cæremoniarum apparatu, &
 „in altari multis candelis, floribus &
 „odoribus adornato, imaginem sive ef-
 „figiem parentis vel avi defuncti collo-
 „cant, in quo sacrificio invenitur & qui
 „facit

„facit sacerdotis officium & Ministri il- Sæc. XVII.
 „lius, offeruntque carnes, vinum, A.C. 1645.
 „candelas, odorama, capita ca-
 „prarum &c. Hoc autem sacrificium
 „ex communi gentium illarum inten-
 „tione dirigitur, ut præfatis eorum
 „Progenitoribus gratias reddant, ho-
 „norem & reverentiam exhibeant ob
 „beneficia ab iis accepta, & ob illa,
 „quæ ab eis accipere sperant: unde
 „ante altare prostrati, deprecationes
 „multas faciunt, postulantes sanitatem,
 „longam vitam, abundantiam fructuum,
 „filiorum multiplicationem, prosperita-
 „tem magnam, & ut ab omnibus ad-
 „versitatibus liberentur: Quod quidem
 „sacrificium in domibus suis, & in se-
 „pulchris mortuorum etiam fit, minore
 „tamen cum solemnitate. *Quæritur*,
 „utrum Christiani fide & exterius tan-
 „tum, ut supra dictum est, possint assi-
 „stere huiusmodi sacrificio, vel exer-
 „cere aliquod ministerium in illo cum
 „infidelibus commixti, sive in templo
 „sive in domo, vel sepulchro, publice
 „vel privatim, vel quomodo hoc pote-
 „rit permitti Christianis illis, ne si om-
 „nino prohibeantur hoc facere, fidem
 „perdant, vel, ut melius dicam, a-
 „vertant se ab actibus exterioribus Chri-
 „stianorum? „

Sæc. XVII. *Censura.* „Christianis Chinenſibus
A. C. 1645 „nullatenus licere, ſicte vel exterius
 „aſſiſtere ſacrificiis in honorem Proge-
 „nitorum, neque eorum deprecationi-
 „bus, aut quibuſcunque ritibus ſuper-
 „ſtitioſis gentilium erga ipſos: multo
 „minus licere circa præſata miniſterium
 „aliquod exercere. „

X. „Chinenſes Chriſtiani aſſeverant,
 „quod in oblationibus ſupradictis ſolum-
 „modo intendant Progenitoribus ſuis
 „defunctis illam exhibere reverentiam,
 „& illa offerre, ac ſi iisdem viventibus
 „exhiberentur, & in memoriam tan-
 „tum & reverentiam Progenituræ &
 „generationis, acſi illi exiſterent, ea-
 „dem illis præſentarent, ut illis oblatis
 „veſcerentur, vel ſuſtentarentur, offe-
 „runt absque alia intentione vel roga-
 „tivarum ſpe, cum ſciant illos mor-
 „tuos eſſe, eorumque animas in infer-
 „no ſepultas. *Quæritur*, utrum, ſi
 „hæc inter Chriſtianos tantummodo
 „fierent absque alio gentilium conſor-
 „tio in Templis, domibus vel ſepulch-
 „ris, ponendo & collocando aliquam
 „crucem in altari præſatorum defun-
 „ctorum, dirigendo ad illam ſuam in-
 „tentionem, ita tamen, ut Proge-
 „nitorum imagini nihil tribuant niſi
 „honorem & reverentiam filialem, quam
 „(ſi vivi extitiſſent) illis commeſtibili-
 „bus

„bus & odoriferis rebus exhiberent, ut Sæc. XVII.
 „sic populo satisfaciant, unde hoc est, A. C. 1645.
 „quod quæritur, utrum hoc pro nunc
 „ut inconvenientia evitentur, tolerari
 „possit? „

Censura. „Consequenter ad ea, quæ
 „superius dicta fuerunt, præmissa non
 „posse salvari sive per appositionem Cru-
 „cis, sive propter absentiam gentilium,
 „sive per intentionem, actus de se il-
 „licitos & superstitiosos ad cultum veri
 „Dei dirigentem. „

XI. „Ad memoriam Progenitorum
 „suorum conservandam utuntur Chi-
 „nenses quibusdam tabellis, in quibus
 „nomina suorum defunctorum scripta
 „sunt, quas vocant isti ANIMARVM
 „SEDES, existimantes, animas defun-
 „ctorum venisse, & assistere in illis ta-
 „bellis ad recipiendum sacrificia & ob-
 „lationes, & præfatæ tabellæ sunt col-
 „locatæ in propriis altaribus cum rosis,
 „candelis, lampadibus & odoramentis,
 „& coram ipsis tabellis genuflexiones,
 „orationes & deprecationes faciunt,
 „expectantque auxilium ab illis defun-
 „ctis concedendum in suis necessitati-
 „bus & laboribus. *Quæritur*, an Chri-
 „stianis licitum sit omnibus gentilitiis
 „superstitionibus & erroribus postposi-
 „tis, uti (pro nunc) præfatis tabellis,
 „illasque inter Domini & sanctorum
 „ima-

Sæc. XVII. „imagines in eodem altari collocatas
A. C. 1645. „habere, vel in alio separato cum or-
 „natu supra dicto ad hoc, ut gentili-
 „bus satisfaciant, vel possint facere su-
 „pradictas deprecationes & sacrificia
 „cum intentione supra dicta? „

Censura. „Omnino non licere habere
 „illas tabellas in vero & proprio altari
 „majoribus dicato, multo minus de-
 „precationes & sacrificia eis offerre, li-
 „cet occulta & ficta intentione.

XII. „Quando in illo regno aliquem
 „mori contingat, siue Christianus sit
 „siue gentilis, pro inviolabili more ha-
 „betur in domo defuncti quoddam al-
 „tare præparare, in eodemque imagi-
 „nem defuncti seu tabulam supra dictam
 „collocare cum ornatu odorum, florum
 „& candelarum, retroque cadaver se-
 „retro inclusum ponere: omnes autem,
 „qui ad condolendum domos illas in-
 „grediuntur, coram præparato altari
 „& defuncti imagine ter vel quater ge-
 „nuflectunt, humi sese prosternentes,
 „capitibus usque ad terram demissis,
 „aliquas secum candelas asportantes &
 „odoramaenta, ut in præparato illo al-
 „tari coram defuncti imagine consum-
 „mentur & comburantur. *Quæritur,*
 „utrum licitum sit Christianis & præ-
 „cipue Ministris sancti Evangelii, at-
 „tento mutuo benevolentiae signo &
 „amo-

„amoris, supradicta facere, maxime Sæc. XVII.
 „quando defuncti sunt ex nobilioribus A. C. 1645.
 „populi? „

„*Censura.* „Posito, quod mensa parata
 „sit mere quædam tabula, non autem
 „verum & proprium altare, & si cætera
 „continentur intra limites obsequii ci-
 „vilis & politici, esse toleranda. „

XIII. *Quæritur*, utrum Catechume-
 „nis paratis jam ad baptismum susci-
 „piendum debeant ministri declarare
 „& aperte & in singulari docere, esse
 „illicita sacrificia & omnia supra dicta,
 „quamvis ex hoc sequantur inconve-
 „nientia, scilicet desistere a susceptione
 „baptismatis, persecutiones, mors,
 „vel exilium Ministrorum Evangeli-
 „corum? „

„*Censura.* „Ministros Evangelicos te-
 „neri docere, sacrificia omnia, præ-
 „terquam soli Deo, illicita, cultum
 „dæmonum & idolorum esse relinquen-
 „dum, & quæcunque hujusmodi cul-
 „tum concernunt, esse falsa, & chri-
 „stianæ fidei repugnantia; ad singula-
 „ria vero descendendum, prout in Ca-
 „techumenis ingenii promptitudo, aut
 „ruditas exiget, aliisque circumstan-
 „tiis, consuetudinibus, ac periculis
 „perspectis. „

XIV. „Chinarum sermone hæc vox
 „(XING) idem est, quod *Sanctus*,
Sancta,

Sæc. XVII. „*Sancta, Sanctum*, & in libris doctrinæ
A. C. 1645. „Christianæ in illo regno a quibusdam
 „sancti Evangelii Ministris prælo man-
 „datæ reperitur ista vox (XING) ad
 „denominandam Sanctissimam Trinita-
 „tem, Christum Dominum, B. Virgi-
 „nem & cæteros sanctos. *Queritur*,
 „utrum, quando in præfatis libris sese
 „offert occasio, ut nominetur Magister
 „Chinarum. KVM FV CV vocatus,
 „vel mandatum Regis Chinarum, vel
 „cæteri Reges, qui communiter in illo
 „regno ut sancti reputantur, cum sint
 „infideles & idololatræ, possimusne,
 „& an sit licitum nobis Christi Ministris
 „nominare supra dictos hoc nomine
 „XING? „

Censura. „Non posse aliquid firmari
 „circa vocem hanc, ejusve usum, nisi
 „præhabita cognitione idiomatis, ejus-
 „que veræ & propriæ significationis:
 „cæterum si eadem vox in regno Chi-
 „narum habet latitudinem, posse Mi-
 „nistros ea uti, si vero restringatur ad
 „significandam veram & perfectam san-
 „ctitatem, nullatenus posse. „

XV. „In multis templis idolorum
 „illius regni invenitur una tabella de-
 „aurata & collocata supra unam men-
 „sam vel altare, & omnibus ornamen-
 „tis candelarum, rosarum, odoramen-
 „torum munita & ornata, qua in ta-
 „bula

„bula scriptæ sunt litteræ vel caracte- Sæc. XVII.
 „res sequentes, HOAM, TY, VAN, A. C. 1645.
 „SVY, VAN, NAN. SVY, hoc est,

„Vivat Rex Chinarum ad multa anno-
 „rum millia: & ante præfatam tabulam
 „mos est inter illos idololatrias sacrifi-
 „care bis aut ter in anno, & facere
 „genuflexiones in honorem & reveren-
 „tiam illius. *Quæritur*, an nos Ministri
 „Christi Domini possimus in nostris ta-
 „bellis collocare huiusmodi altare cum
 „tabula & circumstantiis prædictis, &
 „hoc ante altare, ubi Sacerdotes Dei
 „sacrificant oblationem immaculatam?

Censura. „Exclusis sacrificiis, &
 „altari vere & proprie dicto, cætera,
 „quæ redolent tantummodo cultum
 „civilem, aut possunt ad illum reduci,
 „permitti posse.

XVI. *Quæritur*, an in illo regno li-
 „cebit Christianis orare & sacrificium
 „facere Domino Deo nostro pro suis de-
 „functis, qui in sua infidelitate ab hac
 „vita discedunt? „

Censura. „Si vere in infidelitate di-
 „scedunt, omnino non licere. „

XVII. „Utrum teneamur Prædicatores
 „Evangelii prædicare in illo regno Chri-
 „stum Crucifixum, & ostendere San-
 „ctissimam ejus imaginem maxime in
 „Ecclesiis nostris? causa hujus dubi-
 „tationis est, quod gentiles scandali-
 „zantur

Sæc. XVII. „zentur ex tali prædicatione & osten-
 A. C. 1645 „sione, & judicant maximam esse stul-
 „titiam.”

Censura. „Nulla prudentia aut præ-
 „textu differendam esse doctrinam pas-
 „sionis Christi post Baptismum, sed
 „omnino præmittendam: Ad actua-
 „lem prædicationem Christi Crucifixi,
 „licet non teneantur Ministri Evange-
 „lici in singulis concionibus, sed ad
 „proponendum verbum Dei, ac divina
 „Mysteria prudenter & opportune, &
 „ad illa pro Cathecumenorum captu
 „explicanda, non tamen a sermonibus
 „passionis Domini nostri abstinere te-
 „nentur ea ratione, quod gentiles inde
 „scandalum sumant, aut stultitiam
 „putent.”

Censuerunt etiam, conveniens esse,
 „ut in Ecclesiis imagines habeantur
 „Christi Crucifixi, & ideo curandum,
 „ut quoad opportune fieri potest, ex-
 „ponantur.”

XVIII. „Quæritur, si in prædicto
 „Regno fuerint aliqui Ministri Evange-
 „lici, qui supradicta fecerint, docue-
 „rint, vel permiserint, quam culpam
 „incurrant, & quo supplicio, censura-
 „ve a Sede Apostolica debeant puniri.”
 Hæc quæstio postrema unacum libello
 supplici Patris Moralez in Romano
 exemplari suppressa fuit, forte, quia
 præ-

præfati Patris nomen, quod ibidem Sæc. XVII.
A. C. 1645.
expressum erat, tunc reticere, con-
sultum videbatur, aut quia summus
Pontifex de plena sui mandati obedi-
entia & executione confusus, poenas in
refractarios decernere, nimis præfe-
stinum, superfluumque fore censebat.
Decretum vero Sacræ Congregationis
erat sequens:

„Referente Eminentissimo D. Cardi-
„nali Ginetto supra scripta quæsitæ una
„cum responsis & resolutionibus Con-
„gregationis Theologorum ad eorun-
„dem quæstorum examen specialiter
„institutæ. Sacra Congregatio D.D.
„de propaganda fide, præfata respon-
„sa & resolutiones approbavit: Et ea-
„dem Congregatione supplicante, San-
„ctissimus Dominus noster ad conser-
„vandam uniformitatem in prædicatio-
„ne, ejusque praxi, omnibus & singu-
„lis Missionariis cujuscunque Ordinis,
„Religionis & instituti etiam Societa-
„tis JESU, in regnis Sinarum aut
„Chinæ pro tempore existentibus, sub
„poena excommunicationis latæ Sen-
„tentiae, Sanctitati suæ & sanctæ Sedi
„Apostolicæ specialiter reservatæ, di-
„strictè præcipiendo mandavit, quate-
„nus præfata responsa & resolutiones
„diligenter observent, illisque in praxi
„utantur, ac ab aliis, ad quos perti-
„nent.

Hist. Eccles. Tom. LXI. Q „ne-

Sæc. XVII. „nebit, observari & practicari faciant,
 A. C. 1645. „donec Sanctitas sua vel sancta Sedes
 „Apostolica aliud ordinaverit. „

§. LXVIII.

*Guilielmus Laudus Cantuariensis
 Archiepiscopus capite plexus.*

Salmon hist. d' Angl. t. i. Rapin. Hist. d' Angl. t. 9. lib. 21. Burnet mem. des dern. Revol. Charendon mem. Jam dudum Angli rebelles cruentæ, ac immani Regis sui tragediæ præiudebant suppliciis eorum, qui eidem aut fidelitate, aut obsequio & amicitia devincti erant. Horum primus erat Buchingamus Dux, quem postea sequebantur Stafordiæ Comes, Carevus, Rogerus, Hothamus unacum Filio suo, Marguirus, Winderbankius, pluresque alii primæ Nobilitatis Viri, quorum non aliud erat crimen, nisi quod aut Regi suo fideles, aut in Catholicos minus sævi fuissent. Acrior vero, magisque diuturna tempestas detonuit in Guilielmum Laudum Cantuariensem Archiepiscopum. Hic jamjam ante quadriennium de proditionis crimine postulatus, in carcerem conjiciebatur, in quo usque ad vigesimam tertiam Octobris diem anni post Christum natum millesimi sexcentissimi quadragesimi tertii tabescens, tandem die trigesima ejusdem Mensis ad plurima accusationum capita respondere iussus est. Deducebatur

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

batur plusquam octuagies e Turri Londinensi, a Parlamento & præcipue Cronwello capitali ejus inimico examinatus: purgabat se solida defensione de objectis sibi criminibus, pluresque horas non interrupto sermone in sui defensionem perorabat: differunt Proceres pronuntiare sententiam usque ad undecimam Novembris diem anni præteriti, partim quod interim hunc infelicem a mortis supplicio eripiendi spem haberent, partim quia testimonia ad ipsius condemnationem minus valida censerent. Verum Curia inferioris Senatores hoc fulcrum, ut eo facilius ipsum Regem subruerent, evertere, jam firmum, fixumque habebant: quocirca iisdem artibus, quibus nuper innoxium Stafordiae Comitis sanguinem fuderant, Laudi quoque mortem promovere festinabant: Ergo in suo Senatu hunc Archiepiscopum de impunitatis criminibus jamjam convictum esse, eadem pronuntiant hora, qua ipse coram Proceribus suam innocentiam egregie vindicabat. Reclamant Proceres, palam testificantes, Laudum perditionis reum non esse, regerunt vero Senatores, illum hoc quoque crimine contaminatum reperiri: Opponunt alii Regias literas, quibus hic Præsul die duodecima Aprilis jam ante biennium a

Q 2

Rege

Sæc. XVII. Rege vitæ gratiam obtinuerat: ast flocci
 A.C. 1645. habentur hæ Regis literæ: Proceres
 igitur a Senatoribus territi iniquæ
 huic sententiæ, qua Laudus suspendio
 plecteretur, die quarta Januarii sub-
 scribunt. Præfigitur ferali executioni
 dies decima ejusdem Mensis: Præle-
 guntur accusationum capita, quorum
 graviora erant, quod Regi præsentis
 belli auctor exstitisset, publicas leges,
 & Anglici Regni regimen, oppressa Par-
 lamenti potestate, & subrogato Regi-
 mine arbitrario convulsisset, ac deni-
 que in Pontificios æquior, cum Mini-
 stris Aulæ Romanæ consilia contulisset,
 & sub specie novæ Liturgiæ doctrinam
 Catholicam inducere adlaborasset: Uni-
 ca tamen & genuina probrosæ mortis
 suæ causa erat, quod Catholicos ex-
 carnificare neglexerit, seditiosa Parla-
 menti contra Regem consilia probare
 renuerit, & Regi suo fidelis perman-
 ferit. Postquam igitur Laudus præva-
 lente suorum hostium potentia & furore,
 omnem legitimæ defensionis viam sibi
 interclusam cerneret, die decima Ja-
 nuarii libello supplici Proceribus por-
 recto rogabat, ut laquei infamia inca-
 pitis abscissionem commutaretur, &
 Sternius, Haywodus & Martin Præ-
 dicantes ipsum ad extremam luctam
 accingere permetterentur. Annuere
 luben-

lubenti animo Proceres: utrumque ve- Sæc. XVII.
 ro denegarunt inferioris Curiae Sena- A. C. 1645.
 tores: Instat rursus infelix Archipræ-
 sul, ut non laqueo, sed ferro vitam in
 ferali pegmate finire permetteretur, eo-
 quod Sacerdos, Episcopus, Regii Con-
 sili, & Nobilis Curiae Minister esset.
 Ægre id misero indulgere Senatores,
 & tanquam singulari beneficio illum
 ornassent, propterea, quia nulla ma-
 jore ignominia & vindicta eidem vitam
 eriperent, ovariantibus fimiles capitis
 supplicium maturari urgebant. Præ-
 stituta igitur die Laudus funestum mor-
 tis theatrum conscendit, ac sermone
 ad populum habito palam declaravit,
 „quod mortem subiret, eoquod Dei
 „Templum derelinquere, & Jeroboani
 „vitulum, seu Presbyterianorum schis-
 „ma sequi noluerit; sua vero conscien-
 „tia rigide discussa, ob nullius omnino
 „criminis, de quo accusaretur culpam
 „juxta Regni leges mortis supplicio ob-
 „noxius esset, nec unquam Rex, ut
 „pote Protestantium Religioni addi-
 „ctissimus, Papismum invehere co-
 „gitavit, minus vero ipse aut Regni
 „leges evertere, aut Papisticam doctri-
 „nam in Regno stabilire intenderit:,,
 Pluribus aliis fufius propositis tandem
 sermonem suum absolvit his verbis:
Hæc est hora vobis data, & potestas te-
 Q 3 *nebra-*

Sæc. XVII. *nebrarum*, quibus dictis palam in foro
 A. C. 1645. Londinenſi ſecuri percuſſus eſt, infelix
 Calvinianæ ſævitæ, ac rebellionis
 victima.

§. LXIX.

*Fallax pacis negotiatio rebellium cum
 Carolo Angliæ Rege.*

Sublato ferme unico Regis amico ut-
 riusque Curiaſe Senatores, necnon
 Scoti Presbyterani, ut Regem reconci-
 liationis percupidum eo facilius in caſ-
 ſes ſuas pertraherent, Uxbrigdam ſuos
 Deputatos ablegarunt, ut ibidem cum
 Regiis Miniſtris de pace agerent: præ-
 vie autem a Rege petebant, ut verum
 Parlamentum nonniſi ex utraque Cu-
 ria, & Scotica Deputatione conſtare
 agnoſceret, & ab his ſecuritatis lite-
 ras, quas ſuis Deputatis Richemundio
 & Suthamptono dari deſiderabat, ef-
 flagitaret: Duræ huic conditioni an-
 nuit Rex, ne pacem in limine excluſiſ-
 ſe argueretur: ex hac ipſa vero Regis
 indulgentia audaciores facti Senatores,
 viginti octo reconciliationis articulos
 Regiæ auctoritati, & honori ſummo-
 pere exitioſos propoſuere; hos inter
 præcipui erant, ut Rex, quæcunque
 contra Parlamentum, & Scotorum con-
 ventionem egiſſet, irritum declararet,

con-

conjunctionem Anglorum, Scotorum-^{Sæc. XVII.}
 que ratam haberet, omnesque suos ^{A. C. 1645}
 subditos ad idem adstringeret, omnem
 Hierarchiam Ecclesiasticam aboleret,
 ad utriusque Curiae sententiam Religio-
 nis reformationem fieri concederet, & ju-
 ramenti formula conderetur, vi cuius om-
 nes Jesuitæ, Sacerdotes & Catholici dete-
 gerentur, & iuramentum præstare recu-
 santes pro convictis haberentur & Par-
 lamenti decreto sanciretur, ut omnes
 Catholicorum infantes in Protestantium
 Religione educerentur: Alio Senatus
 consulto præcaveretur, ne Catholici
 secretos conventus habere, Missas in
 Aula, aliisque Regni locis celebrare
 valerent: ab Amnestia excluderentur
 Palatini Principes, cunctique Bellidu-
 ces & Proceres, & Episcopi de proditi-
 one accusati, necnon Papistæ recu-
 santes, & ad Hibernorum seditionem con-
 currentes, omnes denique, qui sese a
 Parlamento segregarunt, & Regi ad-
 hæserunt, condemnarentur, Regisque
 filii in Protestantium Religione institue-
 rentur: Reliquæ propositiones eo unice
 collimabant, ut Rex ne milites quidem
 conscribere, aut vel bellum, aut quic-
 quam aliud decernere posset, absque
 utriusque Curiae consensu, proin si Rex
 hasce propositiones ratas habuisset,
 nulla omnino auctoritas eidem fuisset

Sæc. XVII. A. C. 1645. relicta, sed retenta Regis larva in ab-
jectum degenerasset mancipium. Enim-
vero Regii Deputati præter præstitutos
viginti dies, harum propositionum æ-
quitatem dijudicandi spatium amplius
petebant; incassum tamen, palam enim
declararunt rebelles, quod Regi nil reli-
quum esset, quam hisce propositionibus
sine ulteriore discussione aquiescere, vel
illas rejicere; violatis enim Regni le-
gibus Rex regiminis indignum sese
reddidisset, supremam igitur auctori-
tatem ad primævam suam originem
scilicet populum revocare oporteret.
Cum ergo Rex his articulis sine aucto-
ritatis, conscientiae & honoris dispen-
dio subscribere haud posset, per suos
Deputatos horum duritiem æquo mo-
deramine temperare nitebatur, ac pro-
pterea Episcoporum jurisdictionem re-
stringi, circa ritus libertatem cuicum-
que concedi, aliosque Curiae articulos
moderari petebat: Attamen Curiae in-
ferioris Senatores, quos inter nova o-
riebatur factio sibi soli supremum regi-
men vindicandi intenta, omnes con-
cordiae vias eluserunt, quocirca hæc
pacis negotiatio re infecta fuit dissoluta.

§. LXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.*Nova Independentium factio in Angliæ Regno exorta.*

Postquam rebelles utriusque Curiae Senatores tam Regiæ auctoritatis, quam Episcopalis jurisdictionis jugum impune excusserant, ac sibi metipsis politicum, Ecclesiasticumque Regimen novis legibus immutandi potestatem arrogaverant, tandem ipsimet inter se dissidere, seque in duas factiones scindere cæperant, monstrorum more, quæ dum pariunt, nova monstra inter se inimica progerminant. Hucusque depressa Episcopali factione, prævaluit sola Puritanorum, seu *Non-Conformistarum* secta; qui etiam *Presbyteriani* vocabantur, eo quod Episcoporum loco Presbyteria, classes seu Synodos ex profanis & Ecclesiasticis conflatas erexerunt, eisque in res Sacras inspectionis auctoritatem concessere. Ex his *Independentium* prorupit factio. Hi primo *Congregationistæ* vocabantur, quia non modo Episcopalem dignitatem & Hierarchiam Ecclesiasticam averfantur, sed ipsum etiam Monarchicum regimen respuentes, Reipublicæ formam invehunt, atque in rebus sacris omnem ab Ecclesiis & Synodis dependentiam, &

*Bréverleg.
Examen de
Independt.
Hornius hist.
Eccl. p. 47.
pag 436.
Rapin hist.
d' Angl. l. 21.
p. 552.*

Sæc. XVII. subordinationem condemnant, atque
A. C. 1645 introducta omnium Ministrorum æqua-
 litate, necnon abrogata eorum voca-
 tione legitima tradunt, quod quivis ex
 se docendi, prædicandi, sacras literas
 juxta capacitatem sibi a Deo datam in-
 terpretandi, publice orandi, fratres
 suos hortandi facultatem jusque ha-
 beat: Hujus monstri origo repetenda
 est ab infernali petulantia, qua ex Par-
 lamento nonnulli non modo cum cete-
 ris Presbyterianis Regiam potestatem
 imminuere, sed ipsam etiam Monar-
 chiam in Rempublicam convertere,
 jam anno priori moliebantur; cum ergo
 hi ceteros Anglos, Scotosque præci-
 pue vero Clericos huic consilio adver-
 sari nossent, hinc Cleri auctoritatem
 destruere intenti, eos omnino neces-
 sarios non esse, illorumque vocatio-
 nem haud firmo inniti fundamento do-
 cuerunt Huic factioni jam præluse-
 rant Gordwinus, Nyeus, Brigdeus,
 Sympson & Burroughsius, qui con-
 scientiæ libertate fruendi obtentu in
 Hollandiam transmigrarunt, comperta
 autem Regiæ & Episcopalis auctori-
 tatis abolitione in Angliam reversi, li-
 berum sui cultus exercitium, toleran-
 tiamque petierunt: aucto demum suo-
 rum numero sensim ipsam Parlamenti
 seu Presbyterianorum potentiam po-
 pulo

pulo suspectam reddere machinabantur: Sæc. XVII.
 Non deerant ipsis potentes hujus con- A. C. 1645.
 filii executores, quos inter præcipuus
 erat Oliverius Cronwellus, qui utrius-
 que Curix Senatores seu Parlamentum
 de male administrato Regno, concita-
 tis belli tumultibus, & privato com-
 modo ac questu per suos Emissarios pa-
 lam arguebat, omnesque Parlamenti
 Patres a politicis & militaribus officiis
 excludere, suæque factionis Viros sub-
 rogare nitebatur: Die igitur nona De-
 cembris anni prioris idem Cronwellus
 in inferiori Curix Senatu pro illorum
 exclusione, & nova militiæ norma per-
 orabat; reclamabant quidem Proceres,
 annuebant tamen Senatores, qui Cron-
 wellum Presbyterianæ factioni oppido
 addictum rati, eundem supremum Equi-
 tatus Præfectum nominarunt, dato di-
 plomate, in quo consueta hæc verba,
pro securitate Regiæ Personæ omitti vo-
 luerunt: Fairfaxio autem supremum
 exercitus regimen contulere, & Tri-
 bunos Cronwello propensos, dimissis
 Puritanis subrogarunt. Ita hi suam
 auctoritatem ipsimet in factionem sibi
 inimicam transtulere, & tragicis ini-
 tium dederunt fati, quæ postmodum
 per plures annos Angliæ Regnum con-
 cusserunt: Quam nociva autem tam
 Reipublicæ quam Ecclesiæ fuerit nova
 hæc

Sæc. XVII. hæc Independentium secta, fusius de-
A. C. 1645. scribit Hornius in sua Historia, & lu-
 culenter testantur innumeræ hæreses,
 & cædes, quibus postea Angliæ Re-
 gnum funestabatur.

§. LXXI.

*Caroli I. Regis copiarum iterata clade
 a rebellibus fusæ.*

*Rusworth.
 Vol. 6. p. 27.
 Mem. de
 Witlock
 pag. 146.*

Igitur Thomas Fairfaxius pro commis-
 sa sibi auctoritate Cronwello nego-
 tium dabat, ut Robertum Palatinum
 Principem, ne cum bis mille Equi-
 tibus sese Regiis copiis jungeret, præ-
 pediret, qui etiam prope Oxonium fuso
 regio Equitatu Bencklingtoniam arcem
 occupavit, illam Windebankio juniore
 ad primam provocationem dedente,
 quem postea Rex ob ignaviam suam
 glande trajici jussit. Sub idem tempus
 Marmaducus Fairfaxium non sine cla-
 de a Pontefracti obsidione repulit, huic-
 que urbi suppetias intulit, Rober-
 tus vero Princeps rebellium agmen
 Ledburii fudit. Prospero hoc armo-
 rum successu animatus Carolus Rex,
 ipsemet cum exercitu suo Licestriam
 movit, hancque urbem vi occupavit,
 promotisque castris Oxonium contendit,
 ut hanc urbem a Fairfaxio cinctam ob-
 sidione liberaret; postquam vero hunc

omissa

omissa hujus urbis obsidione, a Borst- Sæc. XVII.
lenſi arce deſideratis ſuorum quamplu- A.C. 1645.
rimis repulſum fuiſſe compererat, to-
tis copiis cum hoſte contendere ſtatuit.
Dies erat vigesima quarta Junii, qua
Rex in editiore loco prope Nazebyum
aciem latius extendit, ac ipſe ante pri-
ma ſigua procedens, milites ſuos ad
ſtrenue pugnandum hortatus eſt. Jam
dato ſigno Robertus Princeps in læ-
vum hoſtis cornu invehitur, & poſt
pertinax certamen Equitatum ſolutis
ordinibus in fugam agit: Inſtat fugien-
tibus Regius Eques, illosque Naza-
byum uſque propellit: inde vero Prin-
ceps reverſus, tormentorum ſuggeſtus
hoſti eripere molitur, improvido pror-
ſus conſilio; cum enim in dextero cor-
nu Cronwellus Regios Equites vehe-
menter urgeret, ac demum acie ex-
cedere compelleret, mox ſtrenue in
prælium reverſus, peditatum, quem
Rex jamjam pene proculcaverat, reſti-
tutis ordinibus ad prælium reduxit,
Regiosque pedites retrocedere compu-
lit: Tum vero rebelles a fronte & a
tergo Regios urgent, quia Rex numero
inferior, ac inſuper Roberti Principis E-
quitatu deſtitutus reſiſtere haud poterat:
Accellit quoque ad calamitatis cumulum
quod reverſo ad pugnae locum Roberto
Equites regii nec mandato, nec minis
aut

Sæc. XVII. aut precibus ad incessendum hostem
 A. C. 1645. induci possent: quocirca Rex, ut præ-
 lium restauraret, cum unica Equitum
 ala & exiguo peditum agmine in me-
 dium belli discrimen se transferre co-
 gitur: Obequitat agmen suum, facta-
 que victoriæ spe suis animum reddere
 fatagit, ipseque cominus cum hoste
 pugnaturus, gladium strenue stringit,
 cum ex Scotis Proceribus quidam Re-
 gem, ne manifesto vitæ periculo se ex-
 poneret, hortatus, arrepto fræno ipsius
 equum ad dexteram partem inflecteret,
 quo conspecto Equites Regem fuga sibi
 consulere rati, laxatis habennis, qua
 cuique ad fugam patebat via, erum-
 punt, secumque pedites eadem fuga
 involvunt. Cogitur ergo Rex hosti vi-
 ctoriam, belli tormenta, sarcinas, om-
 nemque belli apparatus relinquere,
 unacum quinque captorum millibus,
 & desideratis plusquam sexcentis in
 prælio cæsis. Hac victoria animati re-
 belles, plurimas urbes qua vi, qua de-
 ditione subegerunt, Rex vero, cum
 exercitum suum reparare haud ultra
 posset, post iteratas suorum clades pri-
 mo Nevarcam, & postea Oxonium a
 suis derelictus secessit.

§. LXXII.

§. LXXII.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.*Pacis conditiones a Rege incassum rebellibus suis subditis propositæ.*

Ipsæ non pauci Londinenses, qui Regi adhucdum adhærebant, datis ^{Rapin. l. c. p. 576.} literis eidem significabant, dissidiis inter Presbyterianos & Independentes indies invalescentibus, honestæ pacis spem affulgere: Horum consiliis acquiescens Rex, missis ad utramque Curiam Legatis ad pacis negotiationem sese promptum obtulit, ac pro suis Deputatis literas publicæ fidei & securitatis concedi petiit: verum Parlamentarii Regem suum nequidem responso dignabantur; instat rursus & tertio Rex, ut vel suis præfatas literas concederent, vel ut ipsemet Londini vel Westmonasterii de pace agere valeret, permitterent; pollicebatur insuper, quod ipsis tam Ecclesiæ quam militiæ res pro suo arbitrio instruendi libertatem relinquere velit: nihilominus non modo repulsam tulit, sed etiam Senatores eidem insinuare ausi fuere, quod eidem ad Parlamentum accedendi facultatem dare non possent, eo quod profuso copioso sanguine adhucdum unacum Filio suo tam in Anglia, quam in Scotia armatus Hibernos Catholicos & rebelles

in

Sæc. XVII. in suo exercitu haberet, pluresque æ-
A. C. 1645. que ac exteros ad sua signa pertrahere
 moliretur: nulla igitur pacis spes reli-
 qua foret, nisi Rex ad omnes condi-
 tiones sibi præscribendas consensum
 suum, necnon congruam Parlamento
 satisfactionem, & a futura vexatione
 securitatem præstiturus esset. Tam
 insolens responsum Regi stomachum
 movebat, qui confutatis omnibus sibi
 imputatis, ad sua petita certum respon-
 sum sibi dari postulavit.

§. LXXIII.

*Carentoniense Calvinistarum Conci-
liabulum.*

Aymon Sy- Jam anno priori Calvinistæ in Francia
nod. Nat. a Ludovico Rege vigesimam octa-
des Reform. vam Synodum Nationalem pro Mense
t. 2. p. 624. Decembri celebrandi facultatem im-
 petrauerant, cui etiam die vigesima
 sexta ejusdem Mensis initium fecere,
 Carentonium confluentibus plusquam
 sexaginta Prædicantibus, & Seniori-
 bus. Intererat nomine Regis Calvi-
 montius, qui eisdem inhibuit, ne de
 aliis rebus, quam doctrinæ & discipli-
 næ suæ articulis, agere, vel ad hoc
 conciliabulum alios Prædicantes, præ-
 ter ad hanc Synodum regiis literis de-
 putatos, admittere, vel durante Sy-
 nodo

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

nodo cum exteris suspectisque hominibus ullum commercium habere præsumerent, minus vero de Regni negotiis, rebusque iustitiam concernentibus agere, aut Prædicantes a Rege vel Parlamento exulare iussos redintegrare, vel de prætenſa edictorum violatione querelas proponere auderent. Insuper eisdem Regis & Reginae nomine prohibuit, ne literas vel responsa mitterent ad exteriorum epistolas, nec etiam suæ sectæ libros typis ederent, aut in quosdam Prædicantes ad Religionem Catholicam reſeros anathema dicerent, vel lingua aut calamo eos infectarentur, nec externos ad Præconis officium nominarent, vel universalia seu publica jejunia indicerent, aut in suis sermonibus terminos; *tormentorum Martyrii & vexationum*, quibus se pressos fuisse autumant, usurparent, minus vero Papam cum ignominia *Antichristum*, Ecclesiam vero Catholicam, *idolatricam*, & præfatæ Ecclesiæ ritus & Sacramenta, *humanas adinventiones* appellitare auderent. Postea vehementer de ipsis querebatur, quod suos filios studiorum caussa Genevam, ad Helvetios, Hollandos & Anglos, Monarchici regiminis hostes transmiserint: dein præcepit, ut nullum, qui in præfatis regionibus studia absolverit, ad Prædicantis

Hist. Eccles. Tom. LXI.

R

cantis

Sæc. XVII. A.C. 1645. cantis munus admitterent: Non sine stomacho insuper ipsos quoque Prædicantes redarguit, quod in suo Psalterio Genevæ edito plura Ecclesiæ Romanæ injuria ingesserint, necnon in sua fidei Confessione Concilium Tridentinum, *detestabile*, Religionem Catholicam, *abusum & Sathanæ fallaciam*, Purgatorium vero *meram fraudem & officinam*, ex qua Monachorum vota, Peregrinationes, *aliæque ejusmodi corruptelæ prodiissent*, appellare, hæcque verba: *Damnamus omnes Papatus conventus, ubi Idololatria & superstitio vigent*, addere non erubuissent: inhibuit ergo, ne in suis Synodis super ejusmodi fidei confessionem jurarent, cum id in contumeliam cederet Regiæ Majestatis & Religionis, quam Galli profitentur, necnon illius Ecclesiæ, cujus Caput esse Papam ipsimet Reges agnoscunt, eumque *Beatissimum Patrem* appellant, omni-que veneratione, & artissimo amoris nexu venerantur. His Regius Deputatus adhuc subjunxit, Regem & Reginam iniquo tulisse animo, quod I. sub primis regiminis regii auspiciis Calviniani Præcones propria auctoritate, non sine violentia in Occidania, aliisque locis palam prædicare, suumque cultum exercere recusarint, cum etiamsi fuissent offensi, non tamen sibi-
metipsis

metipsis jus dicere valerent: II. quod Calvinistæ suas consultationes in colloquiis & Provinciis suis agitatas audacter vulgare, & in Andusano Consistorio confirmare, hujusque temeritatis Auctores in sua rebellione corroborare, eisque propterea gratias rependere ausi fuissent. III. Quod Uzecianæ campanas turri sine licentia imposuissent. IV. Quod Occitani Calvinistæ ad Montpeffulanam, Nemausensem & Uzecianam Curias jam ab anno hujus sæculi vigesimo secundo suppressas, deputationes, & quidem eo tempore, quo de Urbis Montpeffulanæ deditione agebatur, innovare, & factionis hujus Antesignanos contra Regis interdictum nominare, suæque sectæ exercitium in pluribus Regni locis nonnisi privata auctoritate, & ultra præscriptos a Rege limites introducere, imo & in ipsis locis, quæ Ecclesiasticis parent, adhuc dum prædicare auderent. V. Quod Prædicantium nonnulli effræni prorsus licentia in suis declamationibus populum ad seditionem concitare, & Parentes, qui suas proles ad Catholicorum Collegia miserunt, a sua communione segregare ausi fuissent; postea addidit Regius Deputatus, *cum ergo hæ Regionum edictorum transgressiones omnibus sint manifestæ, Regiæ auctoritati*

R 2

oppi-

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

Sæc. XVII. oppido nociuæ & ad infringendam publi-
A. C. 1645. cam pacem natæ, hinc Rex adeo temera-
 rios ausus impune abire deinceps nec pati
 vult, nec potest.

§. LXXIV.

*Frivola Calvinianorum Prædicantium
 excusatio contra hæc Regii De-
 putati querelas.*

Aymon l. c.

Haud parum delicatos Calvinianorum
 Prædicantium animos pupugithæc
 Regii Deputati objurgatio: ut ergo
 non tam culpas, quam obtemperandi
 necessitatem a se amolirentur, præpri-
 mis novi Regis & Reginæ Regimen
 subdolæ assentationis lenocinio ad sy-
 dera usque extulerunt, quin tamen
 suam suorumque fidem, submissionem
 immotamque erga Regem obedientiam
 plenis buccis deprædicare oblivisceren-
 tur: Postea pollicebantur, quod nul-
 lum commercium per literas cum ex-
 teris habere, & neminem præter De-
 putatos ad suas Synodos, vel alieni-
 genam ad Prædicantis munus admit-
 tere, aut Religionis suæ libros impri-
 mere, vel a sua secta secedentes excom-
 municare, nec in sermonibus injurias
 contra Catholicos evomere, nec popu-
 los ad seditionem commovere velint;
 nec permissuri sint, ut privatæ Provin-
 ciæ

ciæ publica jejunia indicent, vel Præ-Sæc. XVII.
 cones ostiatim eleemosynas colligant, A. C. 1645.
 & pecunias pauperum in alienos usus
 convertant. Postea audacter declara-
 runt, quod sine enormi prævaricatione
 verba Religioni Catholicæ injuria a sua
 fidei confessione delere non valerent,
 eoquod hæc jam centum abhinc annis
 ita fuisset concepta & Francisco II. Regi
 oblata eo fine, ut indicarent abusus,
 quibus ipsi Romanam Religionem sca-
 tere, & reformatione egere credidif-
 sent; hæc vero confessio nunquam im-
 mutata, sed per edictum Nannetense
 fuisset approbata: studiose autem reti-
 cuerunt hi Calvinistæ, quod Franciscus II.
 Henricus IV, ceterique Reges semper
 adversus contumeliosa *Antichristi &c.*
 verba reclamarint. Magis adhuc pro-
 terve excusabant convitia contra Pur-
 gatorium &c. effusa, asserentes, quod
 nunquam Ecclesiæ Romanæ fidem ex
 integro appellarint *Abusum, & fallaciam*
Sathanæ, cum hæc fides in multis con-
 sentiat cum Calviniana Ecclesia, plu-
 res vero alios articulos de intercessione
 Sanctorum, Purgatorio &c. Papæ Pri-
 matu &c. admittere nequeant, sed pe-
 nitus rejiciant, prout eos semper om-
 nes Calvinistæ impugnarunt: quapro-
 pter hæc Synodus omnibus suis Eccle-
 siis inhibuit, ne in Psalterio vel fidei
 suæ

Sæc. XVII. suæ confessione quicquam immutarent.
A. C. 1645. Ita nempe Calvinistæ articulos, quos
 credere nolunt, nunquam validius impugnant, quam convitiis, & injuriis, quas suæ fidei adeo proprias censent, ut hi Prædicantes ipsimet falsi sint, quod si hanc suæ fidei confessionem ab ejusmodi convitiis expurgarent, imposturæ, atque apostasiæ, quæ nec coram Deo nec hominibus excusanda foret, se reos facerent, & vitæ æternæ jacturam incurrerent, quia in materia Religionis simulatione uterentur, perinde ac si palam & sincere suam fidem non profiterentur, duntaxat dicendo: se non credere Papam esse Ecclesiæ caput, non dari Purgatorium &c. sed profiteri tenerentur, quod Ecclesia Romana sit, *abusus*, & *Sathanæ fallacia*, Purgatorium *mera fraus*, & *corruptelarum officina*, Papistarum religio, *Idololatria*, & *superstitio* &c. & quod Papa sit Antichristus. Egregia plane sanctitas illius Religionis, quæ convitia in proximum effusa inter Evangelicos fidei suæ articulos computat. Nunquam vero magis impudenti mendacio illudebant Regi, quam dum convitia contra Tridentinum effusa in Genevensem Typographum, in quem nulla ipsis auctoritas esset, rejecerunt, ipsumque se non jubentibus hæc vulgasse dixerunt, imo ut hic ea omisisset, ex
 toto

toto corde suo optare addiderunt, cum Sæc. XVII.
A. C. 1645.
tamen mox declararent, quod hic idem
typographus nil nisi ea, quæ ab omnibus
Europæ Protestantibus, qui unanimi suf-
fragio Tridentinæ Synodi anathemata
& decreta semper impugnarunt, re-
cepta vulgavit, & quæ plures Prin-
ces Catholici, Carolus V. Imperator,
Henricus II. Carolus IX. pariter im-
pugnarunt, & per suos Deputatos con-
tra ea reclamant: Impudens men-
dadium, & mendax impudentia! qua-
lis unquam Princeps Catholicus decreta
fidei vel anathemata contra fidei erro-
res in hoc Concilio pronuntiata impu-
gnavit, vel contra ea protestatus est?
Enimvero quædam *discipline* decreta
Franciæ Parlamentum non recepit, Præ-
sules autem unanimi pene suffragio adop-
tarunt: quando autem ullus ex Gallis hæc
decreta tanquam *detestabilia* impugnavit?

Negabant insuper, quod suæ sectæ
exercitium extendissent, ac sese Gu-
bernatorum mandatis violenter oppo-
sissent, sed duntaxat Nannetensi e-
dicto confisæ plures Ecclesiæ ad pri-
stina sua jura rediissent, cumque Ri-
baulti jam per septuaginta annos Calvi-
nianæ sectæ exercitium florisset, &
primum hujus loci Domina Arnaldum
Andusanum Præconem immissa mili-
tum centuria ejecisset, hic juxta an-
tiquum

Sæc. XVII. tiquum morem ab hujus loci incolis
A. C. 1645. vocatus, suum Ministerium eis impen-
 furus redierit, ast a supremo Occida-
 niæ Prætoze captus fuerit abductus.

Fatebantur quoque, quod quidem
 contra Regii Præfecti interdictum suos
 Deputatos ad præfatas urbes miserint,
 id autem unice factum asseriebant, ut
 Regi pro patrociniis grates rependerent,
 & edicti violationes reparari rogarent.
 Uzecienfes vero specialem cum Rege
 transactionem transgressi non fuissent,
 cum nova concessione pro antiquo usu
 nunquam prohibito opus non sit, cam-
 pana autem jam ab antiquo turri fue-
 rit imposita, & paulo ante præfatam
 transactionem ob imminentem turris
 ruinam in quodam Ecclesiæ angulo col-
 locata, mox reparato campanili ad pri-
 stinum locum reposita fuisset.

Quod autem objurgati essent, quasi
 nonnullos ab usu Sacramentorum ex-
 clusissent, qui Filios suos studiorum
 causa ad Jesuitarum Collegia misissent,
 responderunt, se id fecisse juxta disci-
 plinam ipsis per edicta permissam, ac
 propterea jure reprehendi non posse,
 quia suos filios educare tenerentur in
 timore Dei, eosque instituere, quali-
 ter Regi obedire adstringantur, ut hor-
 rorem concipiant contra maledicta quo-
 rundam Catholicorum Casuistarum
 prin-

principia, quæ teneris juvenum animis impressa hoc Regnum in lacrimarum & doloris mare præcipitassent: Sæc. XVII.
A. C. 1645.

Nec nos, addebant illi audacter, violatæ hujus legis haud amplius nunc soli, sicut olim, rei sumus, quia non modo Sorbona, sed etiam tota Parisiensis Universitas nunc & adhucdum judicii acta instruit contra Jesuitas, eoquod nostram Juventutem depravarint, & suæ moralis doctrinæ veneno infecerint.

Postea supplicabant, ut ad ministeria promovendi Genevæ &c. sua studia absolvere possent, eoquod hæ urbes arctiori obsequio, quam quævis alia Christiani Orbis civitas, Franciæ Regibus obstrictæ essent, suosque Filios in Gallias vicissim mitterent; ex illis vero Prædicantibus, qui Genevæ &c. studiis vacassent, nullus Monarchiæ averfatus fuerit, vel a debito Regibus obsequio se vel subditos abstraxerit. Denique impediri rogabant, ne a quibusdam adulterino Zelo permotis ob Religionem suam molestia afficerentur, ipsorumque conscientis violentia inferretur, quod eis etiam concessum est. His ita propositis per suos Deputatos ad Regem, & Reginam literas absurda adulatione plenas dederunt.

Sæc. XVII.

A. C. 1645.

§. LXXV.

Quædam hujus Conciliabuli decreta.

Præter alia nullius momenti decreta hi Prædicantes pro arrogata sibi potestate decernebant; quod consentiente Magistratu politico, aliquis viduam defunctæ uxoris suæ Sororem, imo & Pastore & contrahentibus id postulantis, defunctæ uxoris Matrem sine ulla oppositione ducere valeat. Severe tamen prohibent, ne Pastores assistant nuptiis inter Patruales, etsi hi a Rege nubendi facultatem obtinuissent. Novam quoque Turcas, Paganos & Judæos baptizandi formam præscribere, manifesto indicio, quod eorum Ecclesia sit admodum juvenis, quæ sicut a nullo retro sæculo existit, proinde nec Turcam, vel Paganum aut Judæum per Baptisma ad suum sinum recepit, ita nec ab antiquo recipiendi formam valuit repetere. Præcepit insuper hæc Pseudo-Synodus, quod si aliquis Pastor ob senium vel infirmitatem communicantibus calicem administrare nequeat, tunc nihilominus, etsi plures sint Pastores, ipse panem porrigat; mandavit quoque cuidam, ut se ab uxoris suæ defunctæ Nepte, quam duxerat, separaret, eo quod hæc conjunctio ab Evangelio,

gelio, & patriæ legibus damnata esset. Eodem tempore Codurus Pastor & in Ne-
mausensi Universitate Professor librum
quemdam edidit, in quo dissidia inter
Catholicos & Calvinistas circa justifi-
cationem componere nitebatur: verum
Synodus illum acriter redarguit, eo-
quod Divinæ veritati, & Protestantium
sectæ injurius, communem fidei con-
fessionem tanquam errorem traduxisset,
& Ecclesiæ hostis evasisset, eoquod non
sine contemptu de suo Ministerio locu-
tus esset, illudque neglexisset, adeo
malæ & impie causæ, qualis est illa ca-
tholico-Romana, patrocinando. Forte
hæc censura etiam ad sinceram Calvinia-
næ fidei professionem necessaria fuit? Ve-
rum egregii hi Patres jamjam obliti fue-
rant, quod paulo ante Regi promissis-
sent, quod *contra Catholicos injurias e-*
vomi, deinceps tolerare nolint: Nempe
id tantum prohibitum fuit privatis Præ-
dicantibus, non autem venerandæ Sy-
nodi Patribus, qui hunc miserum Præ-
conem suo Ministerio & Professoris Of-
ficio ob tam enormem culpam gratiose
amoverunt. Declamabant etiam con-
tra *Independentium* sectam, omnibusque
Provinciis, præcipue maritimis injun-
gebant, ut invigilarent, ne hujus ve-
neni contagio Ecclesiæ Dei, & Regno
admodum nociva Ecclesias Calvinianas
infi-

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

Sæc. XVII. inficiat, & tot Religiones, quot Paro-
A. C. 1645. chiæ & communitates in Regno sunt,
 progerminet. Præcepit etiam sub ana-
 themate suis subditis, ut quando Ca-
 tholici Sacram Hostiam in plateis cir-
 cumferunt, ipsi pileum non detegant,
 nec publicis eorum supplicationibus ad-
 sint, sed vultum avertant, & ad suas
 domos redeant, ne temerarie verita-
 tes impugnare, suas conscientias mor-
 taliter lædere, & Catholicos in suis
 superstitionibus confirmare videantur,
 fidelibus autem Christianis suo exem-
 plo scandalum præbeant: illos, qui e-
 jusmodi fecissent, Synodus hortabatur,
 ut poenitentiam agerent, & in conspectu
 Magni Dei & Domini nostri Jesu Christi
 amare deplorent, quod ejus gloriam
 per sua crimina profanarint, qui vero
 deinceps talia commiserint, omni fe-
 veritate a Consistoriis puniantur, &
 tanquam communione cum Dei sanctis
 indigni omnibus Ecclesiæ censuris per-
 stringantur. Ita modeste Synodus ob-
 servantiam inculcabat suæ Religionis,
 quæ tamen paucis abhinc annis ar-
 matae seditionis ope in Regno mere Ca-
 tholico nasci & crescere cæpit, & non-
 nisi Regum Christianissimorum indul-
 gentia, licet extorta, adolevit: Ut au-
 tem luculento documento testatum red-
 derent, quod ea, quæ Regi verbis
 promit-

promittunt, nunquam opere explere Sæc. XVII.
 intendant, hinc etsi diserte promiss- A. C. 1645.
 sent, quod publica jejunia indicendi fa-
 cultatem Provinciis adimere velint, ipsi
 tamen Synodis Provincialibus præce-
 perunt, ut solemne jejunium ad quar-
 tam Maij in qualibet Diœcesi indicerent.
 Egerunt etiam de libris Milleterii, in
 quem etiam anathema vibrarunt; de
 eo autem jam supra mentionem inges-
 simus. Demum postquam hæc Syno-
 dus plurium Præconum lites compo-
 nere, illorum causas dijudicare, &
 illos, qui calamum contra Ecclesiam
 Catholicam acuebant, encomiis & præ-
 miis animare certaverat, ob Simoniam,
 aliaque horrenda crimina tres Prædi-
 cantes suis officiis exuit, duos autem,
 eo quod ad fidem veram reversi essent,
 tanquam Apostatas a sua societate ex-
 clusit, sui que Conciliabuli Sessionibus
 die vigesima sexta Januarii finem im-
 posuit.

§. LXXVI.

*Novem Cardinales ab Innocentio X.
 inaugurati.*

Die sexto Mensis Martii hoc anno In- Ciacon. in
 nocentius X. octo Præsules Sacra vita Inno-
 Purpura honorabat, & quidem Pres- cent. X.
 byteri Cardinales creabantur. I. Do-
 mini-

Sæc. XVII. minicus Cecchinus tit. S. Sixti. II. Nicolaus Albergatus ex Bononiensi Archiepiscopo tit. S. Augustini III. Tiberius Cincicius titulo sancti Calixti. IV. Petrus Aloysius Carafa primo Tricaricensis Episcopus, postea Cardinalis tit. SS. Sylvestri & Martini in Montibus. V. Horatius Justinianus Nucerinæ Ecclesiæ Episcopus & Cardinalis tit. S. Onuphrii. VI. Alderanus Cybo tit. S. Praxedis. VII. Fridericus Sfortia Diaconus Cardinalis tit. SS. Viti & Modesti. VIII. Benedictus Odescalcus item Diaconus Cardinalis tit. S. Adriani. Die autem quarta Decembris idem Pontifex nonum, quem in Pectoris sui scrinio retinuerat, promulgabat Franciscum Mariam Farnesium, Diaconum Cardinalem, qui cum Romam non accessisset, nullius Ecclesiæ titulum accepit.

§. LXXVII.

Francisci Rupefocaldii Cardinalis obitus.

Heliot. Ord. Monast. t. 2. *Et 5.* *Calmet Hist. de Borr. t. 3.* *Sammarth. Gallia Christ.* His locum cessere quatuor Purpurati hoc anno defuncti, quos inter primus erat Franciscus Rupefocaldius natione Gallus, qui Philosophicis, Theologicisque scientiis apprime excultus, juvenis admodum Clericorum Ordini adscri-

adscribebatur, paulopost Tornusiana Sæc. XVII.
A. C. 1645.
 Abbatia decoratus, cujus tamen pro-
 ventus potissimam partem tum paupe-
 ribus, tum Abbatiae ab hæreticis de-
 structæ ædificiis necessario reparandis,
 egenisque puellis matrimonio collocan-
 dis dicabat. Romam profectus in iti-
 nere a sancto Carolo Borromæo Medio-
 lani humanissime excipiebatur; inde
 vero in Franciam reversus, & primo
 Claromontanus, postea Sylvanectensis
 Præsul renuntiatus, ubique omnes vi-
 gilantissimi Præsulis partes explebat;
 cum vero doctrina, probitate, & mo-
 rum comitate omnium animos facile in
 se raperet, & insuper compositi vultus
 serenitas, & procerioris staturæ Maje-
 stas ipsum gravem & venerandum red-
 deret, ad utriusque Cleri reformatio-
 nem singulari Numinis beneficio ele-
 ctus videbatur: His dotibus suffultus
 Fratres Minores Romæ, Augustinianos
 Sylvanecti, necnon accepto summi Pon-
 tificis, Regisque Franciæ diplomate
 Ordines SS. Trinitatis, S. Benedicti,
 S. Augustini in Galliis ad primum Di-
 sciplinæ fervorem reduxit, Monaste-
 rium quoque S. Dionysii prope Parisios
 in veterem dignitatem vindicavit, cun-
 ctis etiam Regularibus Franciæ Cano-
 nicis salutes præscripsit Constitutio-
 nes, & auctoritate Gregorii XV. & Ur-
 bani

Sæc. XVII. bani VIII. ad Ludovici XIII. vota in Col-
A. C. 1645. legio Bernardino Ordinis Cisterciensium
 primævam disciplinam restauravit, &
 quatuor Abbantias jam jam amissas Ordini
 restituit, convocatoque omnium Superi-
 orum conventu universum Ordinem
 ad veterem sanctimoniam revocasset,
 nisi hæc gloria Alexandro VII. Viris-
 que præfati Ordinis longe celeberrimis
 fuisset reservata. Nec tamen propterea
 pauperum, ac promovendi cultus Di-
 vini obliviscebatur; quippe viginti mil-
 lia librarum quolibet anno in pauperes
 distribuēbat, sui ævi Joannes Eleemo-
 synarius dictus: ægris insanabilibus
 Hospitalem Domum Parisiis fundabat,
 in annonæ caritate ingentem frumenti
 copiam pro duobus aureorum millibus
 coemptam in pauperes distribuēbat, &
 cuidam puerulo pene nudo, & Sacer-
 doti pannoso, ac mendico vestes suas
 interiores dono dabat: pro ægrotis Syl-
 vanectensibus Medicum, Chirurgum &
 Pharmacopolam suis stipendiis aluit,
 peculiaremque coquinam, unde ali-
 menta pauperes perciperent, erexit,
 ac sexaginta pauperrimis semel in heb-
 domada, & quotidie absoluto prandio
 suo omnibus mendicis, qui ad Palatii
 fores confluerant, panem, juscum
 & vinum distribuit, Collegio autem
 pauperum Scholasticorum ter in heb-
 domada

domada panem dispensavit, frugali usus Sæc. XVII.
 mensa, ut largiores eleemosynas in e- A. C. 1645.
 genos effundere posset. Præterea in
 variis locis Capuccinos instituit, & Mo-
 nasterium S. Joannis apud Mandubios
 erexit, atque Ecclesiam S. Genovefæ
 magnis sumptibus exornavit. Eminuit
 quoque Religionis Catholicæ promo-
 vendæ studio, quo incitatus apud san-
 ctiohem Regis Senatum effecit, ut ur-
 bes in Gallia ab hæreticis detentæ re-
 peterentur, & misso ad Hollandos Ora-
 tore deinceps Catholicorum vexatio
 imminueretur, necnon Sacra Palæstinæ
 loca a Turcarum impietate protegeren-
 tur. Virique Apostolici ex Galliis ad
 barbaras Nationes decernerentur: In-
 tererat etiam comitiis Cleri Gallicani
 Lutetiæ habitis, in quibus haud pa-
 rum contulit, ut Tridentina Synodus
 ab omnibus Præsulibus, exceptis tan-
 tum duobus, jurato reciperetur: sum-
 mo quoque Pontifici, & Cardinalibus
 Romæ auctor exstitit, ut in editione
 Romana Concilii Basileensis decreta
 contra Pontificis auctoritatem intrusa
 supprimi juberent. Obiit tandem Pa-
 risiis non sine maximo piorum luctu
 celeberrimus hic Cardinalis die deci-
 ma quarta Februarii anno ætatis suæ
 octogesimo septimo, relicta hæreditate
 sua Nosocomio Parisiensi, & Collegio
Hist. Eccles. Tom. LXI. S Cla-

Sæc. XVII. Claromontano. Scripsit de Ecclesiæ
 A. C. 1645. auctoritate, de Statu Ecclesiastico, de
Romano Pontifice, ejusque auctori-
 tate, Vindicias pro Clero Gallicano,
 & libellum contra Schismaticos.

§. LXXVIII.

*Petri Pauli Crescentii Cardinalis de-
 cessus.*

*Ughel. Ital.
 Sac. Ma-
 racc. Purp.
 Mar.*

Æmulum Marianæ pietatis & Apo-
 stolici Zeli Rupefocaldus habuit
 Petrum Paulum Crescentium Cardi-
 nalem, qui eodem Mense & fato Ro-
 mæ anno ætatis suæ septuagesimo ter-
 tio Purpuram cum mortalitate exiit.
 Erat is ob scientiæ eminentiam laurea,
 & propter miram rerum gerendarum
 dexteritatem honorificis Romanæ Cu-
 riæ officiis, & primo Reatina, postmo-
 dum Urbevetana, & demum Portuensi
 Ecclesia honoratus. Utebatur fami-
 liari S. Philippi Nerei consuetudine,
 qui ipsum ad singularem pietatem erga
 Beatissimam Virginem incitabat, ac de
 eo prædixerat, illum quondam ma-
 gnum Ecclesiæ Præsulem futurum:
 Acclamabatur etiam Pontifex in Inno-
 centii X. comitiis tum ob morum in-
 tegritatem, tum ob legalem scientiam.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1645.*Francisci Cennini Cardinalis extrema.*

Hunc paulopost sequebatur Franciscus Cenninus de Salamandris patria Etruscus, qui juvenis adhuc Pro-Episcopi Clusini officio functus, Romæ Caussidicum aliquamdiu egit, postea domesticis Burghesii Cardinalis negotiis, ac variis Congregationibus præfectus, a Paulo V. primo Amerinorum Episcopus, postea Hierosolymitanus Patriarcha, & Apostolicus in Hispaniis Nuntius nominabatur; cumque Vir esset rectæ mentis, severus, & apprime Ecclesiasticus, ab Urbano VIII. Ferrariensem Legationem, & Faventinam Ecclesiam, cui per viginti annos optimus Pastor præfuit, ac tandem Sabiensem & Portuensem Episcopatum obtinuit: mortuo hoc Pontifice, licet senio oppressus, ad Conclave tamen perexit, in quo semel viginti duorum Cardinalium suffragiis expetitus est ad Pontificatum; haud diu tamen vita superstes fuit, mortuus Romæ die secunda Octobris annos natus septuaginta novem.

*Ciacon. in
vita Pauli V.*

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

§. LXXX.

Caspar Borgia Cardinalis mortuus.

Postremus ex Cardinalibus hoc anno defunctis erat Caspar Borgia natione Hispanus, qui in Complutensi Academia non modo laurea, sed & ex Primatibus Hispanis primus supremi Decanatus officio honoratus, a Rege Canonicus Toletanus, & a Paulo V. Albanensis Episcopus, postea Archipræful Hispalensis, & Pro-Rex Neapolitanus nominabatur. Romam profectus ob mores Viro Ecclesiastico ac Cardinale dignissimos Curiam magna virtutum laude decoravit, Regularibus valde addictus, & in pauperes adeo munificus, ut quotannis decem aureorum millia in eos erogaret. Gesserat aliquamdiu pro Rege Catholico Legationem Romæ, inde vero in Hispaniam revertebatur, eoquod Urbanus VIII. edita Constitutione jussisset, ut omnes Episcopi etiam Cardinales in suis Diocesis residerent: Vix in Hispaniam appulerat Borgia, cum illico Toletanus nominaretur Archipræful, Regio Senatui adscriptus. Demum vero Madridi die vigesima octava Decembris anno ætatis suæ sexagesimo primo decessit.

§. LXXXI.

§. LXXXI.

Sæc. XVII.

A. C. 1645.

*Variae Sacrarum Congregationum
decisiones.*

Inter plures Sacrarum Congregationum Romanarum decisiones celebrior est ^{Decret.} illa, qua die septima Februarii jussu ^{S. Congr.} summi Pontificis Sacra Concilii Con- ^{Trid. Rit.} gregatio Constitutionem jam anno priori ^{et Episc.} pro Burdegalensi Diœcesi editam confirmabat, hujus tenoris: *Regulares privilegia Apostolica habentes non possunt prohiberi ab Ordinariis locorum, ne a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive valeant Sacramentum Pœnitentiæ administrare*: eadem vero Congregatio die decima Aprilis declaravit, quod Episcopus Clericis, qui Bachanalium tempore incedunt perionati, poenam excommunicationis imponere possit. Decisum pariter die vigesima sexta Maij a S. Episcoporum & Regularium Congregatione habetur, quod Confraternitates existentes intra claustra Regularium, non possint celebrare supplicationes extra ipsa sine licentia Ordinarii. Declaratum quoque die vigesima sexta Augusti, quod dignitate aliqua impedita Canonici pro ea celebrent, & alii ministrent, sicut ministrarent Dignitati: si tamen Vicarius

Sæc. XVII. rursus Episcopi incedit in habitu Vica-
A. C. 1645. riali, præcedat cunctas Dignitates &
 Canonicos, quamvis Protonotarios: si
 vero assistat ut Canonicus, sedere de-
 beat in loco suæ receptionis. Sacra
 quoque Congregatio Episcoporum in-
 novavit die vigesima secunda Septem-
 bris Constitutionem, qua sancitum, ut
 Confessionalia sint in loco publico, &
 foramina habeant tam angusta, ut ne-
 quidem digitus auricularis transire va-
 leat. Declaratum insuper die sexta
 Octobris, quod infirmi confiteri possint
 cuilibet confessario approbato, qui ta-
 men ibi relinquat schedam pro notitia
 Parochi. Regulares vero, qui sunt in
 possessione præcedentiæ, præcedant in
 publicis supplicationibus, ubi autem
 non constat de possessione, præcedant
 antiquiores in loco controversiæ.

§. LXXXII.

*Quorumdam Scriptorum Catholico-
rum obitus.*

Anton. Bibl. Ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc
Hispan. anno calamum cum vita posuere,
Jacobil. paucos recensere lubet, & primo qui-
Bibl. Umbr. dem Joannes Vincentius Imperialis
Alegambe Sancti Angeli Dux die octava Februarii
Bibl. Script. in exilio, quo a Genuensi Magistratu
S. J. Echard abductus erat, decessit. Edidit præter
Script. Ord. latina
FF. Præd.

latina & Italica carmina Vitam Sanctæ Sæc. XVII.
Theresiæ, Statum vitæ rusticæ, & fu- A. C. 1645.
neralia Horatii Spinolæ Cardinalis.

II. Felicianus de Oliva Archiepiscopi
Bracarenfis Vicarius Generalis scripsit
egregium tractatum de foro Ecclesiæ.

III. Augustinus Lancellotus Perusinus
Abbas elucubravit *Deum opificem sex
dierum*, & Constitutiones Congregatio-
nis Sanctæ Mariæ de Oliveto præter
alia. IV. Bernardus Gort Carthusi-
anus, posteris reliquit tractatum de Vi-
ris merito virtutum eminentibus, &
Monarchiam Carthusianam. V. Jose-
phus de la Corda Benedictinus, Alme-
riæ Episcopus edidit librum de Maria
& Verbo incarnato, & commentarium
in Sacram Historiam Judith. VI.

Stephanus Fagundez ex Societate, e-
didit quæstiones de Christianis Officiis
& casibus conscientiæ in quinque præ-
cepta Ecclesiæ, Apologeticum pro eo-
dem libro, tomos duos in decem præ-
cepta Decalogi, & tractatum de Justi-
tia & contractibus. VII. Albertus
Charcowski ex eadem Societate vul-
gavit vestigium Bohemiæ Piæ, & vi-
tas Christi, B. V. & Sanctorum. VIII.

Franciscus Henricus Choquetius ex
Ord. FF. Prædicatorum scripsit tracta-
tum de origine gratiæ sanctificantis,
de mixtione aquæ in calice Eucharis-
tico,

SÆC. XVII. A. C. 1645. stico, de confessione per literas, Vitas
Sanctorum Belgii Dominicanorum, B.
Ambrosii Samsedonii & B. Ingridis &c.
IX. Joannes Paulus Nazarius, ex eo-
dem Ordine scripsit commentaria in
summam D. Thomæ, disputationem de
S. Missæ Sacrificio contra Calvinistas,
responsiones ad Fasoli Jesuitæ censu-
ras, & objecta P. Joannis de Albelda,
controversias de Magia, præter ingens
volumen de vario argumento Bononiæ
typis impressum. X. Paulus Minerva
itidem Dominicanus scripsit de Neo-
meniis, libros tres de præcognoscendis
temporum mutationibus, Catalogum
librorum apocryphorum, scholia in sen-
tentias S. Nili, præter plura alia Phi-
lologica. XI. Simon Stock a S. Ma-
ria ex Carmelo reformato Missionarius
Anglicus scripsit tractatum de rebus fi-
dei contra Protestantes, de Visibili Sa-
crificio, & librum Asceticum in tres
partes divisum, qui inscribitur. *Quies,*
requies, & felicitas præter tractatum de
ingressu sui Ordinis in Angliam XII.
Joannes Ludovicus ab Assumptione iti-
dem Carmelita Excalceatus patria Spi-
rensis, Theologiæ Doctor, & sanctita-
tis opinione Illustris: scripsit egregium
tractatum, cui titulus: *Passer solitarius*,
præter iter suum hebdomadale Medi-
tationum, flagellum dæmonum, Ana-
tomiam

tomiam vitæ Anagogicæ, meditatio- Sæc. XVII.
 nes in Vitam Christi & plura alia. A. C. 1645.
 XIII. Gabriel a Christo Carmelita Di-
 scalceatus edidit commentaria in Bul-
 lam cruciatæ, & in summam D. Thomæ.

§. LXXXIII.

*Nonnulli Scriptores Acatholici hoc
 anno defuncti.*

Horum præcipuus erat Mathias Hoe, *Arnold. hist.*
 de quo varia sunt Scriptorum ju- *Hær. l. 2.*
 dicia, quamvis enim nonnulli *c. 17. §. 1.*
vim igneam divini ingenii eidem immodica *Es 16. part.*
 assentatione attribuant, non desunt ta- *4. sect. 3. §. 1.*
 men ex suis quoque non pauci, qui *Niell. in app.*
 ipsum acriter fugillent, quod Princi- *Remonst.*
 pum genio obsecundandi, aurumque *p. 967.*
 aucupandi studio religionem suam, *Jæger. Hist.*
 suæque sectæ causam sæpius venalem *Eccl. Sæcul.*
 exposuerit; Fama, mendax tamen, *XVII.*
 erat, occultum fuisse Catholicum, ipse-
 met enim contra Petrum Cudsemium
 fatetur, quod ad Romanæ Ecclesiæ
 subselia a maximi nominis Viris sæpius
 sollicitatus fuerit, susdeque tamen om-
 nes mundanas dignitates, vanitates, &
 glorias semper habuerit: quantum vero
 humilis hic Præco a mundanis vanitati-
 bus abhorrerit, sat luculenter elucet
 ex prolixo & fastuoso titulo, quo se-
 ipsum honoravit, & ab aliis appellari
 S 5 voluit,

Sæc. XVII voluit, *Theologiæ Pastor primarius ac*
A. C. 1645 *Director, Saxonix Electoris Concionator*
Aulicus, Magnificentissimi Sacri Palatii
Aulæque Cæsareæ Comes, Consiliarius
Saxonicus intimus, & Consistorii Saxo-
nici Præses &c. Habetur in calce acto-
 rum publicorum Londorpii scriptum
 quoddam, cujus auctor huic Prædicanti
 plura objectat crimina. Scripsit Hoe
 commentaria in Apocalypsin, tractatum
 de disputationibus Theologicis, alium
 pro defensione Hunii, & libri concor-
 diæ contra Bellarminum, explosionem
 calumniæ de Apostasia Hoei, apologiam
 pro Luthero & Augustana confessione
 præter plura alia contra Catholicos &
 Calvinistas calamo aculeis armato exa-
 rata. II. Christophorus Potterus, qui
 concionem in caput 21. Joannis edidit
 præter tractatum de Christianæ Chari-
 tatis defectu in illis Pontificiis, qui
 Protestantes vitæ æternæ incapaces
 esse contendunt. III. Joannes Dod
 scripsit casus conscientix, de Sacra-
 mentis, de Regimine domestico, &
 paraphrasin in proverbialia IV. Thomas
 Hayne elucubravît tractatum de Dei
 remediis æqualibus, de pace Ecclesia-
 stica, de vita & morte Lutheri & com-
 pendiarîam S. Scripturæ Synopsin. V.
 Daniel Featly scripsit Catabaptistam
 submersum contra Anabaptistas, ra-
 tiones

tiones sexdecim pro Episcopatu, strictu-
 ram in Lyndomastigem, Sacrilegium
 Ecclesiæ Romanæ in prohibendo laicis
 usu calicis, præter plura alia. VI.
 Guilielmus Tuiſſius edidit responsionem
 ad examen libri Perkinsiani de præde-
 stinatione, dissertationem de scientia
 media contra Suarez, Sabbatum Chri-
 stianum contra Antisabbatarios, Anim-
 adversiones ad Arminii collationem
 cum Junio, & dissertationem super De-
 creto Divino, definitum sit, an indefi-
 nitum? VII. Nicolaus Scandorfius edi-
 dit disputationem de malo & Justifica-
 tione, necnon de usu Christianæ liber-
 tatis contra adiophora, aliam disputa-
 tionem de rejectione Judæorum, &
 adoptione Gentium, præter luctam
 carnis & spiritus.

§. LXXXIV.

Hugonis Grotii obitus.

De fatiſ & orthodoxia hujus Viri jam
 supra sparsim plura meminimus:
 superest tamen, ut de ipsius libris va-
 ſſimi ingenii ſui monumentis pauca
 ſaltem delibemus: Erat is primævo na-
 turæ beneficio ad omnia ſcientiarum
 genera natus, nullamque diem ſine
 litera tranſigens, mira facilitate lati-
 num, Græcum, Hebraicum, Gallicum,
 Theu-

Sæc. XVII.
 A. C. 1645.

Vid. ſupra
l. 193. §. 104.
t. 57. p. 342.
Abrege de
Hift. Eccl.
tom. 10.
Niceron t. 1.
Barignii
vit. Grot.

Sæc. XVII. Theutonicum, Batavum, Italicum &
A. C. 1645. Anglicum idioma præter Orientales
 linguas ferme omnes didicerat. Pro-
 fitebatur etiam Lugduni Batavorum
 Philosophicas, Philologicas, Theolo-
 gicas, & forensis jurisprudentiæ disci-
 plinas, in investigandis antiquitatibus
 solertissimus, juxta ac versatissimus:
 Habuit clarissimum suæ eruditionis Pa-
 negyristem ipsum Richelium Cardina-
 lem, qui se nonnisi tres Viros vere
 doctos in mundo nosse ajebat, Sau-
 maisium, Bignonum & Grotium, qui
 ut ajebat Richelius, cuncta, quæ scri-
 bit, probe digerit, mature ruminat,
 prudenter ordinat & disponit, crescit-
 que cum amplitudine rerum ingenii sui
 vis. Habetur in Metallica Historia
 Hollandæ Reipublicæ numisma, cum
 hac inscriptione: *Hugo Phœnix Patriæ,
 oraculum Delphi, excellens ingenium & lux
 illuminans Orbem.* Hic tantusque Vir
 in patria sua ob Arminianæ sectæ pa-
 trocinium minime acceptus, inde ex
 carcere profugus, Parisios venit, ab
 ipso Rege annua mille aureorum pen-
 sione honoratus: Evolutis aliquot an-
 nis, aut prævalentibus Grotii adver-
 sariis, aut publicis Regni expensis Re-
 giam liberalitatem superantibus, Gro-
 tius suam amiserat pensionem; unde
 in patriam reversus, speratum a Prin-
 cipe

cipe Henrico Friderico patrocinium, Sæc. XVII.
a suis tamen hostibus securitatem non A. C. 1645.

impetravit, denuo exulare jussus. Oppor-
tune autem Oxenstirnius Sueciæ
Cancellarius illum Francofordiam evo-
cavit, ac Sueciæ Reginæ Legatum in
Gallias decrevit, ubi tamen Richelium
sibi minus propitium experiebatur: un-
de in Sueciam profectus, Christinam
Reginam de negotiis in Francia gestis
edocuit, atque ab eadem largiter di-
tatus, in Hollandiam remeare aggres-
sus est, tempestatis vero inclementia
ad Megapolitanam oram ejectus, ac
Rostochium delatus, ibidem die vige-
sima octava Augusti decessit annos na-
tus sexaginta duos: si Jurieo & Ar-
naldini Spiritus Auctori fides, tunc
Grotius nulli religioni addictus obiit;
referunt enim hi, quod Prædicanti sa-
tis jejuno ad suas hortationes nil aliud
responderit, *nisi sum Grotius*, vel non in-
telligo: nec tamen in hoc culpandus;
si enim Calvinista fuit, sufficiebant me-
rita Christi, si tanquam Catholicus mori
voluit, superflua fuit talis declamatoris
præsentia, si nullius erat Religionis,
neutrum juvare poterat.

Scripsit Grotius adhuc juvenis Poe-
mata nonnulla, in quibus Romani Pon-
tificis, Galliæ, & Hispaniæ & Angliæ
Regum necnon Fœderatorum Ordinum
&

Sæc. XVII. & Alberti Austriaci characteres juveni-
 A. C. 1645. nili temeritate descripserat; edidit e-
 tiam tragoedias, epistolas ad Gallos,
 & de Batavo maris jure plura scripsit;
 celebratur quoque ipsius tractatus de
 jure belli & pacis, qui cum summo
 plausu exceptus ad genium lectorum
 sua fata habuit, illiustamen epitomen
 valde utilem edidit Professor quidam
 Amstellodamensis Klenkius nomine.
 Inter ea vero opera, quæ in Historia
 Ecclesiastica sibi locum vendicant, ce-
 teris palam eripiunt ejus commentaria
 in S. Scripturam, ubi Papam immerito
 Antichristum vocari demonstrat, car-
 pitur tamen, quod novis interpretatio-
 nibus nimia temeritate & studio insti-
 terit, & Socinianismo & Pelagianismo
 nimis se addictum monstrarit, necnon
 eruditionem profanam non sine con-
 torta jactantia intruserit. Scripsit e-
 tiam defensionem fidei Catholicæ de
 satisfactione Christi adversus Faustum
 Socinum, Silvam Sacram ad Augu-
 stum Thuanum, Disquisitionem, an
 Pelagiana sint ea dogmata, quæ nunc
 sub eo nomine traducuntur, librum
 præstantissimum de veritate Religionis
 Christianæ, tractatum de coenæ admi-
 nistratione, an ubi pastores non sunt,
 semper communicandum sit per sym-
 bola, Explicationem Decalogi, & trium
 loco-

locorum S. Pauli cap. 1. ad Ephesios, Sæc. XVII.
S. Jacobi cap. 2. & S. Joannis Epist. 2. A. C. 1646.
cap. 3. Denique librum de Imperio summarum potestatum circa Sacra edidisse creditur.

§. LXXXV.

Protestantium gravamina a Catholicis diluta, & graviora ab his contra ipsos proposita.

Conventum erat inter dissidentes Imperii Ordines in nuperis Francofordiensibus comitiis, ut religionum gravamina, ne maturandæ paci obex poneretur, prima die Maij hoc anno per utriusque Religionis Deputatos sine exteriorum concursu componerentur: cum vero Protestantes jam anno priori sub specioso securitatis promovendæ obtentu in Monasteriensi Conventu sua gravamina obtruderent, obstupere Oratores Catholici, Principum suorum mandatis nondum instructi; ne vero suo silentio causæ æquitati diffidere, vel pacem retardasse crederentur, præprimis intrepida mente declararunt, quod quamvis diuturna Europæ tranquillitas primum sub ementito Imperium a servitute vindicandi obtentu a Protestantibus fuisset perturbata, nihilominus Catholici ad præ-
tensa

Maier. 'acta
pac. West.
tom. 2.
Relat. Hist.
de ead. pac.
p. 112.

Sæc. XVII. A. C. 1646. tenfa eorum gravamina respondere pa-
 rati essent, ac præprimis pro decisionis
 norma pacem Religiosam, aliasque
 Imperii Constitutiones, quas ipsi pro
 libitu suo sinistris interpretationibus de-
 torserunt, juxta obvium, ac genuinum
 sensum acceptarent. Postea ad gra-
 vamen de reservato responderunt, hoc
 reservatum unanimi Ordinum benepla-
 cito fuisse decretum & §. *Et postea in-*
fertum, ejusque observantiam ab Ordini-
 bus, ipsoque Cæsare in capitulatione ju-
 ramento promissam, & quidem merito
 jure, eo quod ex jure Divino, natu-
 rali, omnibusque legibus prohibitum
 sit, proventus, ditiones &c. duntaxat
 titulo v.g. hujus vel illius status, offi-
 cii &c. possessas, exuto tali statu, vel
 officio detinere, cum ergo Archiepi-
 scopi, Episcopi &c. proventus Eccle-
 siasticos non tanquam Domini hæredi-
 tarii, sed duntaxat ut Administratores,
 & non alio, quam Status Catholico-Ec-
 clesiastici jure possederint, exuto hoc sta-
 tu illius proventibus jure privantur. Quo-
 niam vero Protestantes tali Præsuli ad
 sectam deficienti proventus Ecclesiæ
 suæ adjudicandos obtenderent, si to-
 tum capitulum pariter a religione Ca-
 tholica deficeret, hinc Catholici eis-
 dem præfatum pacis articulum oppo-
 nebant, ex hisce verbis: *si unus vel plures*
Eccle-

Ecclesiastici &c. simul quoque eis im-
 properabant, quod vix unquam omnes
 Canonici in electionem Lutherani Pseu-
 do-Episcopi consenserint, sed ejusmodi
 electiones ab apostatis arte & Marte
 fuerint extortæ, uti Truchsesii fauto-
 res Colonæ, & postea ceteros in quam-
 plurimis cænobiis fecisse constaret, cum
 tamen in Pace Religiosa diserte cau-
 tum esset, quod si quis Prælatus a Reli-
 gione Catholica defecerit, beneficiis
 eorumque fructibus cedat, & alius
 Catholicus subrogetur: Econtraio au-
 tem sæpissime Lutherani, duntaxat bo-
 na Ecclesiastica aucupandi studio, in-
 terposito etiam juramento, ore & ca-
 lamo sancte polliciti essent, se funda-
 tionibus, statutis & Canonibus Eccle-
 siasticis satisfacturos, quinimo se e-
 tiam Catholicos simularint, & non-
 nulli Subdiaconatus Ordinem suscepe-
 rint, eo duntaxat fine, ut suscepto-
 rum Ordinum testimonia Capitulis ex-
 hibere, hacque fraude præbendas suf-
 furari possent, quibus obtentis promif-
 sa, juramenta, cautiones, omnemque
 fidem sacrilega perfidia violassent, at-
 que etiamnum suæ sectæ addicti Col-
 legia, Episcopatus, Provincias & Cæ-
 nobia Catholicis eripuissent, & exter-
 minata religione avita Lutheranismum
 invexissent. *Profecto, hi non per ostium,*
Hist. Eccles. Tom. LXI. T in

Sæc. XVII.
 A.C. 1646.

Recess. Imp.
ad 1530. S.
und dieweilen

Sæc. XVII. *ingressi sunt, sed aliunde, sicut*

A. C. 1646. Cum autem Protestantes se ab istis Præbendis, jure suffragii, vel Regalium concessione ideo privari quererentur, quia Pontificiis legibus arcerentur, & a Papa Pallium accipere nollent, hinc Catholici eis opponebant, quod nulla exstet censura, vel lex Pontificia, quæ Lutheranos excluderet, cum nulla ejusmodi lege antea opus fuisset, quia a primis Ecclesiastici Status incunabulis præter Religioni Catholicæ addictos in toto terrarum orbe nemo alius Christianus fuit toleratus, novas autem Ecclesiasticorum leges, per quas Episcopi & Prælati professionem fidei Catholicæ emittere jubentur, Cæsar nunquam immutare voluerit, & senunquam immutaturum sponderit: Omnes autem hi Episcopatus &c. a Catholicis pro Catholicis duntaxat fuerint fundati, nunquam fundandi, si pii Fundatores hæc bona in A catholicorum manus deventura prospexissent, hacque ratione suffulti Protestantes Augustani, S. Annæ ædes sibi solis vendicarint, eo quod fundatores religione Lutherani ibidem Collegium pro Lutheranis scholaribus dotassent.

Postea

Postea Catholici vehementer que-
rebantur I. quod Protestantes non mo-
do irruptione violenta, & prohibita
plures Episcopatus &c. Catholicis eri-
puerint, sed etiam contemptis Cæsa-
reis mandatis, ut Catholicos exclude-
rent, illis statuta & juramenta fidei a-
vitæ contraria imposuerint: quod au-
tem Episcopatum usurpatores ad suf-
fragia & Sessiones non admittantur, id
consonum esse, replicabant Catholici,
antiquissimæ consuetudini & legibus,
vi quarum Cæsar nulli unquam investi-
turam iurium temporalium concessit,
nisi promotus de Pontificia Electionis
sue confirmatione docuisset: imperti-
nens autem foret, si ob novos Secta-
tores Cæsar omnesque Principes Ec-
clesiastici antiquas leges immutare
cogerentur.

Insuper ipsis exprobrabant temeri-
tatem, qua recessus Imperii de Anno
1541. & 44. necnon transactionem Pas-
saviensem pro retinendis ejusmodi Epi-
scopatibus allegare præsumperant, cum
tamen in pace Religiosa disertissimis
verbis sancitum fuerit, quod Archiepi-
scopus, Episcopus &c. si a fide Catho-
lica defecerit, *simul beneficiis & fructi-
bus cedat, & alius Catholicus a Capitulo
vel quibus de jure competit, eligatur: illi
vero, qui ante hanc transactionem jam*

T 2

sectæ

Sæc. XVII. sectæ suæ exercitium invexerint, post
A. C. 1646. modum propter id *vexari* non valeant,
 sed quiete juribus suis fruantur, quæ
 verba ad facultatem *retinendi* ejusmodi
 Archiepiscopatus, necnon ad bona Ec-
 clesiastica *post* hanc transactionem usur-
 pata perperam extendi, Protestantibus
 declarabant Catholici, minime vero
 eis suffragari hanc clausulam: *honore*
& existimatione salva, cum non dicatur,
salva dignitate, ditione, bonis & juribus
&c. per hoc autem, quod tales a Re-
 ligione Catholica recedentes suis be-
 neficiis cedere cogantur, jam plurimum
 sæculorum usu & lege Cod. Just. tit.
de SS. Eccl. apud Catholicos statutum
 esset, ut deficientes a statu Ecclesia-
 stico priventur suis beneficiis, quæ non-
 nisi Ecclesiastici Status titulo possidere
 poterant; hi vero exin nullum honoris
 & famæ aut libertatis conscientie de-
 trimentum patiantur, quia aliquis Ar-
 chepiscopus &c. ex sola possessione tem-
 porali sui Episcopatus bonam famam
 non adquisierit, proin nec eidem cedens,
 illam amitteret, si vero inde honorem ha-
 buerit, hic honor esset alligatus huic be-
 neficio ut Ecclesiastico, & propter o-
 nus Religionem Catholicam factam ser-
 vandi, gregi suo invigilandi, & de
 idoneis Pastoribus prospiciendi, lupos
 arcendi &c. honor vero & existimatio
 Catho-

Catholicorum e contrario graviter læ- Sæc. XVII.
deretur, si postquam aliquis Archiepi- A. C. 1646.
scopus a vera fide deficeret, ipsi pri-
varentur beneficio, & jure alium Catho-
licum in hoc beneficio, dignitate &
proventibus subrogandi; hoc ipso enim
a Protestantibus juxta dictamen suæ
Religionis crederentur, quod ob Reli-
gionem, quam tales Catholici Præsu-
les profitentur, a suo beneficio &c. ex-
cludi & tanquam falsi dogmatis, ido-
latriæ &c. rei ad instar hæretico-
rum haberi, fuissent promeriti: aliun-
de vero ipsis Protestantibus abunde de
honoris & famæ conservatione utpote
ab omni molestia securis in præfata
pace provisum esset, & beneficiorum
cessione nullatenus conscientiæ libertas
præpediretur, cum absque ejusmodi
beneficio suam sectam libere profiteri
valerent.

Quantum vero ad reservatum, cum
Protestantes in suis gravaminibus dixis-
sent, se in illud non *consensisse*, respon-
derunt Catholici, quod tamen nequi-
dem *dissenferint*, sed totum negotium
Regiæ decisioni reliquerint, proin post-
modum decisioni factæ consensisse cen-
seantur, præcipue cum Catholici in hu-
jus reservati compensationem in suspen-
sionem Ecclesiasticæ jurisdictionis in
Lutheranos certa lege consensissent;

Sæc. XVII. propterea autem antiquum & maximum
A. C. 1646. Catholicum gravamen fuerit, quod
 Protestantes mox post pacem Religio-
 sam hoc reservatum Ecclesiasticum im-
 pugnare, & via facti in Archiepiscopatus
 &c. involare præsumpserint: priusquam
 ergo Protestantes sibi in aliis satisfieri
 petant, inique spoliatos in integrum
 restituerent.

§. und damit
 solcher Friede
 &c.

§. dargegen
 sollen & §.
 damit auch

II. Querebantur Catholici, quod
 Protestantes pro more suo ex pacifica-
 torii recessus paragrapho, quo dunta-
 xat, *laicis*, si ob sectam emigrare ve-
 lint, non ob id statim bonis suis exuatur,
 cautum erat, violenta interpreta-
 tione Ecclesiasticos, Cænobia & Col-
 legia reformandi, eorumque bona in
 Lutherani Domini territorio sita inva-
 dendi jus sibi arrogarint, cum tamen
 in pace Religiosa etiam *mediatis* Eccle-
 siasticis de securitate cautum, & Ju-
 risdictio Ecclesiastica ea conditione fue-
 rit suspensa, ut ex hac suspensione nul-
 lum tamen præjudicium quibuscunque
 Catholicis Ecclesiasticis quoad eorum
 Religionem, Jura, & bona (quæ licet,
 quantum temporalia Dominis territo-
 rialibus subiecta, semper tamen loco-
 rum Ordinariis subiecta manent) infe-
 ratur: cum vero Protestantes adeo per-
 tinaciter insisterent, ut etsi Laici juxta
 pacem non illico bonis suis exui possint,
 Eccle-

Ecclesiastici tamen ob Religionem, quam a Territorii Dominiis diversam profitentur, libere & pro eorum arbitrio bonis suis exui valeant, hinc egregie ipsorum naribus affricabant ipsorummet axioma ab ipsis contra reservatum toties obtrusum: *Ergone professio Catholicae veritatis est modus amittendi domini rerum, ac bonorum suorum?* Sæc. XVII. A.C. 1646.

III. Objiciebant Catholici, quod Protestantes manifeste contra pacis Religiosæ articulum duodecimum ex Imperialibus civitatibus, locisque sibi subjectis non solum, ubi utraque, sed ubi sola etiam Religio Catholica viguit, Templâ, cænobia, & Catholicorum bona etiam contra particulares transactiones usurparint, & Catholicos ab officiis & opificiis, sepulturis, Sacramentorum usu &c. excluderint, causando, se id superioritatis jure fecisse, perinde ac si Superiores alicujus civitatis, non æque ac tota communitas Imperio & Cæsari tales violentias prohibenti subjecti essent, & si Protestantes in Religionis causa, vota Majora non prævalere debere, asserunt, quâ ratione pauci Senatores de religione disponere valebant?

IV. Querebantur Catholici, quod Protestantes subditis, qui in Catholicorum territoriis habitant, vel ibi manendi

Sæc. XVII. nendi vel emigrandi libertatem asse-
A. C. 1646. rant, cum tamen ex actis comitiorum
 constet, hanc facultatem eis semper
 fuisse denegatam, decretum autem
 Ferdinandæum, quod in suum favorem
 allegant, omnino sub- & obreptitium,
 & nonnisi in Protestantium cerebro ef-
 formatum sit: ac oppido mirum videat-
 ur, quod Protestantes hoc decretum
 Ferdinandi I. etsi paci Religiosæ ma-
 nifeste adversetur, usque adeo extol-
 lant, declarationem tamen Ferdinan-
 di II. circa utriusque partis querelas
 factam inque ipso verborum tenore &
 sensu fundatam rejiciant. Præterea
 si Catholici Principes juxta Pacis Re-
 ligiosæ dispositionem Lutheranos e suis
 ditionibus ejicere incipiant, id sibi met-
 ipsis imputent, qui, tametsi hucusque
 Catholici subditi se nunquam a Luthe-
 rani Principis obsequio subduxissent, Ca-
 tholicos subditos passim e suis ditioni-
 bus ejecerunt, & ad suam sectam vi
 compulerunt.

Quoniam vero Protestantes questi
 essent, quod redditus &c. ex territoriis Ca-
 tholicorum Protestantibus non solvantur,
 & Lutheranorum Scholis &c. ex Ca-
 tholicorum redditibus non provideatur
 &c. ad hoc Catholici responderunt, hoc
 ipsum esse gravissimum Catholicorum
 gravamen, eo quod Protestantes sibi ex
 Catho-

Catholicorum territoriis tam immediata- Sæc. XVII.
 tis quam mediatis ante vel post trans- A. C. 1646.
 actionem ereptis proventus, decimas &c. ~~quæ tamen~~
 quæ tamen ipsis nullatenus debentur,
 extorquere velint, & prorsus insulse
 querantur, quod Ministeriis, Scholis
 &c. Catholici ex redditibus suis non
 provideant, cum tamen Catholici in
 hisce territoriis suos redditus exportare
 non permittantur, nisi prius Lutherani
 partem debitam, & plerumque plus-
 quam debitam detraxerint.

V. Querebantur Catholici, quod,
 cum jurisdictio Ecclesiastica duntaxat
 circa Lutheranam fidem, ministeria,
 ritusque Ecclesiasticos fuerit suspensa,
 Protestantes tamen Præfulum Catholi-
 corum jurisdictionem quoad alia in-
 terturbarint, proprio arbitrio Consi-
 storia & ministeria erigentes, ad quæ
 violenter etiam Catholicos pertrahere,
 & Episcopos a visitationibus Ecclesia-
 rum Catholicarum, a confirmationibus,
 & Beneficiorum collationibus præpe-
 dire attentarint: quod autem contra
 jura Papalia Protestantes quererentur,
 ejusmodi querelas recta paci Religiosæ
 adversari, declararunt Catholici, ob-
 stupuerunt autem, quod Protestantes
 Cæsareæ Majestati suæ jus primarum
 precum in dubium vocare præsumpse-
 rint, cum tamen illud Cæsares, ante-
 T 5 quam

Sæc. XVII.

A. C. 1646.

quam de Hussiticæ aut Lutheranæ sectæ embrionibus vel quidem somnium fuit, jam multis, retro sæculis, vel ex indulto Pontificio, aut saltem ex antiquissima & in Imperio recepta consuetudine quiete possederint.

VI. Mirabantur Catholici, quod Protestantes contra duos Authores Catholicos questi essent, illos in suis libris docuisse, pacem Religionis non nisi tolerantiam vi extortam &c. esse, cum tamen ex Protestantibus quamplurimi, etsi in Imperii negotiis minime versati, nec Protocolla, & acta inspexerint, non tamen erubescant catervatim de Jure publico & pace Religiosa scribere & pro suo arbitrio eam sanctionesque publicas interpretari & contra Cæsarem ac Catholicos periculosissimas assertiones & consecutiones evulgare. Ita nempe jam tum Protestantes publicæ pacis pacta pro suo arbitrio contra Catholicos interpretandi licentiam sibi arrogarunt, qua invalescente Anno 1719. die vigesima secunda Decembris non modo ex detorta pace Westphalica & Imperii Constitutionibus *jus Simultanei seu reformandi* Principibus Catholicis abrogare ausi sunt, sed etiam hanc doctrinam deinceps in omnibus Scholis & Academiis invehiri præceperunt: quocirca Cæsar die duodecima

Apri-

Schæuroth
t. 2. Conclus.
Evang.
pag. 587.

Aprilis adversus hæc noxia, Imperii Sæc. XVII. legibus contraria, & ad dissidia, tur- A. C. 1646.
bas, crebrasque inter Caput & mem-
bra dissensiones tendentia principia, pa-
cisque detorsiones reclamabat, inhi-
bens, ne deinceps recens adinventas
ejusmodi publicarum legum detorsio-
nes & interpretationes unice in Prote-
stantium favorem pro arbitrio suo ex-
cogitatas in Scholis suis traderent, sed
veras & communi Cæsaris & Ordinum
consensu receptas interpretationes se-
querentur: Verum usque adeo jus re-
formandi Catholicis denegare, Prote-
stantium intererat, ut ipsum Cæsarem,
qualiter pax Westphalica sit interpre-
tanda, docere, simulque novam, &
adulterinam eorum interpretationem
veluti genuinæ *Imperialium statutorum in-
tentioni mentique consonam* vendicare au-
derent, capto exinde hoc emolumen-
to, quod per continuum novam hanc
doctrinam in omnibus suis Scholis tra-
dendi usum tandem illa velut vera le-
gis interpretatio esse credatur, & Ca-
tholici, qui passim Protestantium Uni-
versitates frequentant, falsa ejusmodi
principia imbibant.

VII. Questi insuper sunt Catholici,
Protestantes petiisse, quod in caus-
lis Religionis votorum pluralitas non
prævaleret, ad hoc autem respon-
derunt

Sæc. XVII. derunt Catholici, id statutum esse in
A. C. 1646. Imperialibus Constitutionibus, quæ
 nullum casum exciperent.

VIII. Quia vero Protestantes, in
 ordinariis & extraordinariis deputatio-
 nibus parem utriusque partis numerum
 esse servandum postularunt, hinc re-
 gesserunt Catholici, ad ordinarias De-
 putationes Electoribus &c. jam diu
 ante Protestantes jus esse acquisitum,
 in extraordinariis quidem quandoque
 numerum fuisse auctum, nunquam ve-
 ro auditum, parem ex utraque parte
 numerum fuisse.

IX. Circa Donawerthanam urbem
 responderunt Catholici, illius urbis ci-
 ves sibi sua contumacia bannum Imperii
 accersivisse, reddendam autem esse ur-
 bem, si Electori Bavaro executionis
 expensæ fuerint refusæ: si autem Ru-
 dolphus II. hanc urbem plene restitui
 pollicitus esset, id sine damno tertii in-
 telligendum esse.

X. Articulum de Justitia Catholici
 ad generalia Imperii comitia rejecerunt.

§. LXXXVI.

*Quædam compositionis media Catho-
 licis a Protestantibus proposita, &
 Catholicorum responsa.*

Has

Has Catholicorum responsiones ad Sæc. XVII.
 Protestantium gravamina Traut- A.C. 1646.
 mansdorffius Comes Cæsareæ Legatio-
 nis Princeps Protestantibus, ac postea *Maier dñ.*
 Suecis Osnabrugæ communicabat, *pac. Westph.*
 quas postea unacum Protestantium gra- *t. 2. l. 15.*
 vaminibus ipsimet Catholici Mediato- *S. 1. & seqq.*
 ribus utriusque partis tradebant. Que- *Adam re-*
 rendi causam longe æquiorem Catho- *lat. l. 12.*
 licis esse, fatebantur non modo Cæsa- *pag. 211.*
 rei, sed & Mediatores, imo ipsemet
 Oxenstirnius Comes Sueciæ Legatus
 ingenue fassus est, se hucusque igno-
 rasse, quod tam fundatas querendi caus-
 sas haberent Catholici: Verum jam fir-
 mum fixumque erat, Protestantium ar-
 bitrio nonnihil indulgere, eorumque
 amicitiam Ecclesiasticorum spoliis e-
 mere. Hanc in rem proponebatur,
 annorum terminum, quibus Ecclesia-
 sticorum quorundam bonorum posses-
 sio in Pragensi tractatu Protestantibus
 indulta fuerat, prorogandum, & sal-
 vis Catholicorum conscientis quædam
 postulata circa temporalia Protestanti-
 bus esse concedenda. Hanc Catholi-
 corum indulgentiam commendabat
 Trautmansdorffius, quocirca a Prote-
 stantibus petiit, ut mentem suam de-
 super explicarent. Hi ergo quasdam
 declarationes Osnabrugæ, alias Mona-
 sterii Trautmansdorffio tradiderunt,
 quas

Sæc. XVII. quas tamen Catholici ipsis prioribus
A. C. 1646. eorum postulatis longe duriores, ma-
 gis enormes, & in totale Religionis
 Catholicæ exterminium collimare de-
 prehenderunt: ad eas tamen responde-
 runt, pacisque studio animati, ad illa de-
 scenderunt temperamenta, quæ ab ipsis
 Protestantibus haud rejicienda crede-
 rent: Erant autem nova Protestantium
 petita.

I. Hac transactione etiam absentes
 obstringantur, sique conventio hæc in
 irritum caderet, salva permaneant
 Protestantibus jura pristina: Responde-
 runt Catholici, idem quoque sibi esse
 concedendum.

II. Passaviensis transactio & pax
 Religionis sit fundamentum & norma
 conventionis: reservatum autem Ec-
 clesiasticum rejiciatur & Archiepisco-
 patus &c. qui ab anno millesimo sexcen-
 tesimo decimo octavo Lutherani fue-
 runt, tales maneant, qui vero Catholici,
 Catholicis reddantur, & qui fuerunt
 mixti, in eum statum, quo præfato anno
 fuerunt, redigantur. Responderunt Ca-
 tholici, pro norma eas haberi, in sano
 tamen sensu acceptas: reservatum ve-
 ro esse partem essentiali pacis reli-
 giosæ, proin rejici non posse, nihilo-
 minus Catholicos, etsi omnia bona
 Ecclesiastica ante & post hanc pacem
 ablata

ablata repetere possent, condescendere. Sæc. XVII.
A. C. 1646.
tamen, ut Protestantes adhuc per quadraginta annos ea, quæ ab anno hujus sæculi vigesimo septimo die duodecima Novembris possederunt, possidere valeant, nisi interim in Catholicorum potestatem legitime venerint: Ab ejusmodi tamen Archiepiscopatibus &c. nullatenus excludendos esse Catholicos, nec eorum electiones, aut postulationes esse præpediendas, sed Catholicis liberum suæ Religionis exercitium in his Ecclesiis per istos 40. annos relinquendum.

III. Aboleantur Menses Papales, & Pontificis collationes, nec Prælati Evangelicus a Papa confirmationem, sed duntaxat a Cæsare regalia petat, cui primarum precum jus ita integrum maneat, ut etiam Lutheranus vocetur ad Ecclesias Lutheranas: Responsum est a Catholicis, omnino servandos esse Menses Papales & preces primarias, uti antea, Electos quoque & postulatos etiam a Papa promotos a Cæsare esse protegendos.

IV. Horum Archiepiscopatum &c. Prælati in Imperii conventibus gaudeant jure Sessionis & suffragii, R. id indulgendum esse ablatorum Archiepiscopatum possessoribus nonnisi in circularibus Diæti, quin ab iis Catholici arcean-

Sæc. XVII. arceantur, in universalibus autem Imperii comitiis servandum esse usitatum hucusque morem.

V. Catholicus Archiepiscopus &c. si a fide cum majori parte Capituli deficit, habeat jus reformandi, si vero *solus* sit Apostata, quoad vixerit, gaudet omnibus possessionibus, excepto jure reformandi, eo mortuo, liberum sit subrogare Catholicum vel Lutheranum: si vero Catholici Protestantem elegerint, hic sine reformandi jure omnes possessiones ad dies vitæ habeat: idem observetur in Ecclesiis Protestantium: verum Catholici insisterunt dispositioni in reservato factæ.

VI. Omnes mediatae Ecclesiæ a præfato anno occupatæ, perpetuo Protestantibus cedantur, quæ vero hoc anno penes Catholicos erant, etsi in Protestantium terris sitæ, Catholicis relinquuntur, nullatenus tamen Jesuitis aut aliis, pro quibus non sunt fundatæ, tradantur, sitque in arbitrio Conventuum vel majoris partis, Protestantium sectam amplecti, Lutheranum Abbatem vel Priorem eligere, aut cænobia &c. Protestantibus resignare, salva quoque maneant Protestantibus jura visitandi &c. concionatores, & in monasteriis Virginum Præpositos Lutheranos constituendi, quibus Dominis

minis Religiosi Catholici in civilibus & Sæc. XVII.
criminalibus sint subiecti, & ad ferenda A. C. 1646.
onera consueta obstricti. Responderunt

Catholici, quod hæc bona ubicunque sita post pacem Passaviensem occupata Protestantibus per 40. annos libere relinquant, si ea præfato anno & die possederunt, & etiamnum possideant, nisi interea possessionis habitæ titulus evanuerit, aut per alias decisiones juridicas vel pacta Catholicis aliunde debeantur: nobilitati autem immediatæ concessum non sit Religionem Catholicam in suis terris abolere, minus Catholicos subditos ad sectam inducere, vel Nobilitatem Catholicam immediatam in suæ Religionis usu turbare. In illis vero civitatibus Imperialibus, ubi hoc tempore sola viguit secta, maneat illa unacum bonis a præfato anno possessis per quadraginta annos, ita tamen, ut Catholicis unum vel plura Tempora pro libero exercitio Religionis relinquantur, & Protestantes teneantur restituere bona postea occupata & illas ædes Sacras, quas ipsi anno Christi millesimo sexcentesimo vigesimo septimo demoliti sunt.

VII. Omnibus subditis Protestantibus Catholici liberum, saltem privatum sectæ usum permittant, sique ex Protestantibus nonnulli in ditiones Catho-

Hist. Eccles. Tom. LXI.

U lico-

Sæc. XVII. licorum migrare velint, recipiantur,
A. C. 1646. nec juramentis pactisque sectæ contra-
 riis onerentur, nec etiam ab officiis,
 hæreditatibus, aut sepultura communi
 arceantur, nec ad emigrandum cogan-
 tur: aboleantur vero reformationes
 nonnisi titulo juris gladii, detentionis,
 vel Patronatus factæ: Respondebant
 Catholici, hoc postulatum esse paci Re-
 ligionis contrarium: ne tamen emi-
 grationi terminus nimis angustus præ-
 figeretur, Catholicos esse prospecturos.

VIII. Reditus, decimæ &c. quæ ad
 Evangelicas Ecclesias omnes spectant,
 etiam ex Catholicorum territoriis pen-
 dantur, factaque sint Protestantibus
 advocatiæ jura in Cænobiis Catholicis
 usitata, sique ex Protestantibus aliquis
 ex suis fundationem fecerit, semper
 proventus illuc pendantur, etsi Succes-
 sor factus fuerit Catholicus, & reditus
 &c. qui Ecclesiis destructis pendeban-
 tur, dentur possessoribus anni hujus
 sæculi decimi octavi, quæ vero ab hoc
 anno fuerunt desolatæ, earum reditus
 territorium sequantur: id concesserunt
 Catholici quantum ad reditus ex terri-
 toriis Protestantium profluentes, ita
 tamen, ut innovationes præteritæ &
 futuræ rejiciantur, & æqualis semper
 inter Catholicos & Protestantes fiat
 distributio.

IX.

IX. Omnis Jurisdictio Ecclesiastica Sæc. XVII.
 in Protestantes, necnon jura Papalia A. C. 1646.
 tollantur: Annuere Catholici, salva Re-
 ligionis pace, & jurisdictione Ecclesia-
 stica in casibus Protestantium sectam
 non concernentibus, proin salva ma-
 neat jurisdictio in Catholicos in Prote-
 stantium territoriis habitantes, in caus-
 sis autem matrimonialibus, si contra-
 hentes sint Lutherani, & Protestantes
 in possessione fuerint cognoscendi, dein-
 cept per 40. annos cognoscant, si au-
 tem in possessione fuerunt Catholici, si
 una saltem, vel utraque pars Catholi-
 cam Religionem profiteatur, hoc jus,
 æque ac ceteræ causæ Augustanam
 confessionem non tangentes, uti juris
 Patronatus, decimarum, sacrilegii &c.
 penes Catholicos permaneant.

X. Edictum Cæsaris restitutorium
 irritum declaretur; ad hoc responde-
 runt Catholici, hanc declarationem esse
 superfluum, cum de hujus edicti con-
 tentis in præsentiarum contendatur,
 an autem Calvinistæ etiam hac con-
 ventione frui debeant, Lutherani de-
 super suam mentem explicarent,
 Scwenkfeldianos vero & Anabaptistas,
 aliosque Sectarios ubique eliminandos
 esse: ad ceteros vero Protestantium ar-
 ticulos Catholici ea, quæ in nuperis
 suis responsis jam pridem dicta sunt,

U 2

repe-

Sæc. XVII. repetebant, salvo jure addendi, declarandi, & mutandi.

§. LXXXVII.

Novæ deliberationes super utriusque partis postulata.

*Meiern acta
pac. Westph.
t. 2. l. 15.
§. 11. & seq.*

Hæc responsa Catholici Cæsareis Oratoribus die decima quinta Martii tradidere, declarantes, quod salva conscientia ad ampliora descendere haud possent: Trautmansdorffius tamen Lutheranis Archiepiscopis Regalia, Sessionem & suffragium in comitiis ex Cæsaris mente indulgendum esse censebat: Certabant interim Protestantes, ut Gallorum, Suecorum, omniumque, quos sibi proficuos fore sperabant, opem adversus Catholicorum postulata obtinerent: haud segnius Catholici Gallorum, Veneti Oratoris, & Legati Apostolici, aliorumque Oratorum patrocinio petitionum suarum æquitatem impense commendarunt. Pollicebantur suam opem Venetus & Galli, censebant tamen temporum iniquitati, hostium potentiae & numero, necnon Protestantium importunitati & ferociae nonnihil concedendum, nec ad eorum petitionem Deputatos Osnabrugum decernendos esse: ex ipsa autem Catholicorum ignavia & pusillanimitate crescebat Protestantium

Sæc. XVII.
A.C. 1646.

stantium audacia, ut æquissima compositionis media exploderent, & audacter Catholicis præscriberent, quod pro conventionis norma neutra pars conscientiam haberet, si enim, inquietabant illi, salva conscientia Protestantium sectam evoluta sæculo in Imperio admittere poterant, cur non & transactionem de bonis Ecclesiasticis? præcipue cum Ecclesiastica bona non pro Catholicis fundata sint, sed pro Lutheranis, qui immerito pro hæreticis, potiori vero jure Catholici pro talibus haberentur: nulla autem pax speranda esset, nisi inter utramque partem æqualitas, & ea non ad tempus vel per quadraginta annos duratura, sed perpetua stabiliatur transactio: His præmissis die octava Aprilis omnia sua postulata jam prius proposita denuo urgebant, duntaxat in hoc mitiores facti, quod Prælato Ecclesiastico immediato, si cum toto vel majore Capituli parte Lutheranus fiat, non amplius jus reformandi assererent, & pro Lutheranis Catholico Principi subjectis libere commorandi, & pro sectæ suæ exercitio ad vicinum locum excurrendi facultatem peterent. Impertinens videbatur Catholicis hoc Protestantium responsum, ex quo luculenter inferebant, quod Protestantes, cum conscientiae rectæ

Sæc. XVII. dictamen pro conventionis suæ norma
 A. C. 1646. haberi nolint, duntaxat sinistras suas
 pacis religiosæ interpretationes, bona
 Ecclesiastica aucupandi aviditatem, &
 Catholicos exterminandi studium pro
 fundamento haberi velint: quod autem
 bona Ecclesiastica pro Lutheranis fun-
 data, & Catholicos potiori jure pro
 hæreticis habendos esse asseruerint, in-
 fulsam hanc temeritatem responso haud
 dignam declararunt, cum literæ fun-
 dationum & annexæ conditiones Lu-
 theranæ sectæ institutis recta opponan-
 tur, & cum Lutherani nuper ad quar-
 tum gravamen respondissent, quod a
 Lutheranis facta fundatio, etsi Succes-
 sor sit Catholicus, apud Lutheranos
 permaneat, cur non eodem jure Ca-
 tholicorum fundationes, etsi Succes-
 sores facti sint Lutherani, apud Catho-
 licos tamen permaneant? Nihilominus
 Catholici pacis studio declararunt, quod
 concessis quadraginta annis, adhuc de-
 cem imo & viginti annorum terminum
 addere velint, intra quem Protestantes
 bona Ecclesiastica im- & mediata abs-
 que ulla juris aut facti molestia possi-
 dere valeant: Quoniam vero Protestan-
 tes nec hac Catholicorum indulgentia
 contenti essent, nec Catholici Deputati
 plura concedere possent, re infecta
 Monasterium reversi sunt.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.*Iterata Catholicorum Protestantes ad
æquiora reducendi Molimina.*

Mærebant omnes Catholici, & in
luctu vivebant, a Deputatis edocti, *Adam. Ad.
relat. Hist.
Hist. Pac.
Westph. c. 12.
pag. 245.*
quod Protestantes durissimis suis postu-
latis adeo pertinaciter insisterent, ut
tandem & reliqua Ecclesiarum bona
Catholicis eripere machinarentur, fal-
so, non minus ac ridicule jactitantes,
ea potius pro ipsis, quam pro Roma-
no-Catholicis fuisse fundata: cum ergo
Catholici in hac violenta oppressione
nil reliquum haberent, nisi ut ad Cæ-
sar's Legatos plena agendi potestate
munitos recurrerent, hinc eorum men-
tem super cuncta Protestantium postu-
lata, propositis variis quæstionibus, ex-
plorare decreverunt. Hi vero, cum
jam antea Protestantium pervicaciam
frangere incassum laborassent, eisdem
non modo pro Ecclesiasticorum bonorum
possessione centum annorum terminum
promiserunt, sed plura alia consequendi
spem fecere, ea tamen lege, ut quoad
Catholicas Ecclesias reservatum Eccle-
siasticum perpetuo vigeat: censebant
igitur silentio interim prætereundam
esse quæstionem, quamdiu Protestantes
in tranquilla Ecclesiastici spoli posses-
sione

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

fione relinquendi sint, sicut & utrum
urgendum sit, ut intra hujus possessionis terminos Catholici etiam ad usurpatas Ecclesias eligantur? Existimabant quoque de Annatis, Mensibus Papalibus, & jure Pallii nullam esse mentionem faciendam, petendum tamen, ut Protestantes horum loco, certi quid pendant Cæsari, cui etiam salvæ & integræ permaneant primæ preces, sicut & Catholicis Canonicis in Ecclesiis mixtis Exercitium suæ Religionis vel publice in choro, vel privatim in suis Sacellis: Insupercensebant, quod Protestantibus per liberam Capitularium electionem ad Prælaturas vocatis titulus *Electi* aut *postulati* tribui, necnon illi ad Sessionem & Votum admitti possint, dummodo promittant, quod hæc Prælaturas nolint facere hæreditarias, & Ecclesiam administrandi indultum loco investituræ a Cæsare petant, atque juramentum fidelitatis pro concessione temporalium præstent; in civitatibus vero Imperialibus, ubi utraque viget religio, utriusque exercitium permaneat, pacisque Pragensis dispositio servetur, sique, præprimis Augustæ, conventiones particulares in usum deduci poterunt, illis insistendum sit, secus juxta Amnestiæ tenorem cuncta in statum Anni post Christum natum mil-

lesimi

lesimi sexcentesimi vigesimi septimi re-
ducantur: circa Nobilitatem vero im-
mediatam omnino observetur Pax Pra-
gensis. Cum vero Catholici sciscita-
rentur, quantum circa credendi liber-
tatem subditis concedendam, Prote-
stantibus indulgere valeant, responde-
runt Cæsarei, Imperatorem suis subdi-
tis hæreditariis autonomiam semper ne-
gaturum: quid vero alii status indulgere
velint, penes ipsos foret: nunquam ve-
ro generalis credendi libertas, utpote
paci Religiosæ adversa, concedatur: ad
quæstionem autem, an admittenda sit
æqualitas Assessorum in camera? de-
clararunt Cæsarei, eam esse denegan-
dam, concedendum tamen, ut in caus-
sis ex pace Religiosa descendentibus
pares numero de utraque Religione ad
eas decernendas adhibeantur, sintque
imposterum quatuor Præsides Cameræ:
Cæsar vero in Consilium suum Impe-
riale quosdam Assessores Protestantes
assumere intendat, eo numero, ut caus-
sæ ex pace Religiosa nascituræ per eos
de utraque Religione cognosci possent:
censuerunt quoque Cæsarei, suffragio-
rum pluralitati in causis publicis, non
autem Religionis esse innitendum: in
deputationibus vero Imperii paritatem
statuum utriusque Religionis Prote-
stantibus esse indulgendam.

Sæc. XVII.
A.C. 1646.

U 5

§. LXXXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

§. LXXXIX.

Catholicorum sententia super Cæsareis propositis.

Quoniam Catholici nimium Protestantibus indulgeri arbitrarentur, hinc die vigesima octava Maij Cæsareis exposuerunt, centum annorum terminum esse quidem nimis onerosum, Catholicos tamen hanc indulgentiam utpote jam promissam per modum *passivæ permissionis* dissimulatu-
ros, salvo reservato Ecclesiastico, & pactis specialibus: Menses Papales, aliaque jura esse tuenda, Canonicis, ubi quatuor vel plures reperti fuerint, publicum in Choro, aut saltem privatum Religionis exercitium esse stabiliendum, nec eos a residentia Personali arcendos, nullatenus tamen Protestantibus electis ad Archiepiscopatus concedendum, ut inter Ecclesiasticos Principes locum obtineant, sed per capitulorum electiones vocati in tertio loco Sessionem accipiant, directorio penes Salisburgensem Episcopum & Austriacos Principes relicto: in civitatibus quoque Imperialibus, ubi sola Confessio Augustana viget, unum, alterumve Templum Catholicis cum pleno Religionis exercitio concedendum, nec eos ab officiis, civium juribus vel
opi-

opificiis excludendos: nec etiam per-
mittendum, ut contra specialia pacta
ejusmodi Civitates præcipue Augusta-
na gravaretur in Ecclesiasticis & Poli-
ticiis: denique circa libertatem credendi
standum esse nuperæ Catholicorum sen-
tentia, & circa paritatem Assessorum,
& Præsidum numerum nihil adhuc Pro-
testantibus esse offerendum. Verum
moderatæ adeo declarationes nondum
frangere poterant pervicaciam Prote-
stantium, qui non centenariam, sed
perpetuam Ecclesiastici spoli possessio-
nem, & perfectam in omnibus æquali-
tatem, pluraque alia longe duriora iis,
quæ antea proposuerant, tanquam jura
debita sibi concedi postulabant, unice
consentientes, ut Ecclesiasticus a Ca-
tholica vel vicissim a Lutherana Reli-
gione deficiens dignitate & beneficio,
salvo tamen honore, privetur, vita-
litium tamen acquirat: Postea, ut Ca-
tholicos ab æqualitate multum abesse
ostenderent, eisdem obtrudebant, quod
hi tres Electoratus Ecclesiasticos, duos
Archiepiscopatus, triginta duos Epi-
scopatus, Abbantias quinquaginta se-
ptem præter novem Abbatissas, & qua-
tuor Balivias adhuc possiderent, e con-
trario autem Protestantes nonnisi duos
Archiepiscopatus, quatuordecim Epi-
scopatus, & sex Abbantias Catholicis
eripuif-

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

eripuissent. Tam enormia Protestantium postulata exacerbabant Catholicos, qui mitiora a Saxoniae Legatis expectantes, illos tanquam Mediatores adhibebant: verum & hi circa Religionis articulos cum ceteris Protestantibus conspirabant, & centenariam possessionem, si interim conveniri nequiret, ad alios centum annos extendi, reservatum Ecclesiasticum aboleri, terminum restitutionis ad annum hujus sæculi vigesimum quartum restringi, in Bohemia, Moravia, Silesia & Austria Lutheranae sectæ exercitium, salvo emigrandi jure, permitti & æqualitatem Consiliariorum Imperialium stabiliri postulabant: circa reliquos vero articulos ipsemet Saxoniae Elector datis die decima Julii literis Protestantes hortabatur, ut obexigui momenti dissidia Catholicis non adeo molesti essent, nec Germaniam penitus in cineres redigi permetterent: ipse etiam Cæsar ad Altenburgicum & Brunsvicensem Principes, quorum Oratores durius cum Catholicis agebant, datis literis moderationem, incassum tamen, commendabat: Catholici quoque Oratores immodica Protestantium postulata ad Cæsarem referentes, Trautmandorffium Comitem rogarunt, quatenus nihil ultra Protestantibus sine Catholicorum consensu tribueret, sed Sue-

cis,

cis, Gallisque Protestantium duritiem Sæc. XVII.
A. C. 1646.
exponeret, declarans, quod si hi novissime a Catholicis indulta rejicerent, frustra de concordia deinceps ageretur, cum salva conscientia, ac honore tam iniquis Protestantium postulatis consentire haud possent.

§. XC.

Nova Cæsareorum declaratio super Protestantium postulata.

Vacillabant ex Catholicis non pauci, qui aut Protestantium potentiam, aut Religionis, suarumque fortunarum, quas adhuc reliquas habuere, jacturam veriti, sub necessitatis publicæ obtentu Adversariis quidlibet esse tribuendum suadebant: Hos tamen postmodum non nihil erexerat immota quorundam Præsulum constantia, inter quos præcipue Henricus Augustanæ Ecclesiæ Episcopus pridie sui obitus palam profitebatur, quod suæ sententiæ, quam die decima quinta Novembris anni superioris manifestasset, ad extremum usque halitum insistere vellet, proin in universos illos Tractatus, qui antehac unquam, & usque in præsens tempus, horam, & diem, ac etiam nunc instituti sint, aut imposterum instituendi essent, de punctis & mediis, quæ

Sæc. XVII. „quæ catholicæ Religioni, ejusque ad-
A.C. 1646. „hærentibus in dogmatibus, jurisdictio-
 „nibus, rebus, ac Personis contrarien-
 „tur, neque in universum, neque ex
 „parte consentire possit, debeat, aut
 „velit. „

Obiit autem laudatissimus hic Præ-
 sul Dilingæ die vigesima quinta Junii
 anno ætatis suæ septuagesimo septimo,
 Pontificatus vero Augustani quadrage-
 simo octavo. Hujus Viri utpote Reli-
 gionis studio flagrantissimi jacturam
 præcipue deplorabant Catholici, qui
 magnanimo defensore destituti omnem
 movebant lapidem, ut saltem summi
 Pontificis Nuntius, & Osnabrugensis
 Episcopus oppressam Catholicorum
 causam firmo pectore tuerentur, Gal-
 losque a noxio cum Suecis & Prote-
 stantibus foedere abstractos ad opem
 Catholicis ferendam inducerent: Neu-
 ter deerat suis partibus, & quidem
 Osnabrugensis Episcopus gravibus op-
 pido verbis iterum iterumque Gallis
 exposuit, quam fatalis esset Catholicæ
 Religioni eorum cum Ecclesiæ hosti-
 bus conjunctio, cum hi Gallorum ope
 nuper tres urbes in Colonienfi Archi-
 episcopatu Catholicis eripuerint, Mo-
 nasteriensem, Paderbornensem, Ful-
 densensem, Corbeiensem, Hirsfeldensem
 &c. devastarint, ubique hæresin publice
 inve-

invexerint, & Catholicis, Ecclesiis, & Sæc. XVII.
 monasteriis immensum damnum intulerint, quod absque Gallorum fœdere
 A. C. 1646.
 nunquam tentare potuissent: denique Gallis ob oculos posuit, quam graviter
 hujus conjunctionis causa, plurimi Archiepiscopatus, Episcopatus, dominia,
 ditiones, jura Catholicorum, & quod deterius est, tot animarum millia pe-
 riclitentur &c. Verum Galli, ne fœderatorum amicitiam amitterent, di-
 vine fidei damna flocci habebant, & Catholicis quidem amplis verbis opem
 contra Protestantes pollicebantur, eodem vero halitu Protestantibus contra
 Catholicos auxilia promittebant, simulque Catholicis duntaxat centena-
 riam, Protestantibus vero *perpetuam* transactionem super possessione bono-
 rum Ecclesiasticorum suadebant, hos ad constanter postulandum, illos ad im-
 mote negandum incitabant, arguebant Cæsareos de nimia erga Protestantes
 indulgentia, ipsi vero nil intentatum relinquebant, ut Cæsareos, Catholi-
 cosque ad hanc necessitatem redigerent.

§. XCI.

*Ultima Catholicorum declaratio circa
 Protestantium postulata.*

Cum

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

Cum autem Protestantes metuerent, ne Catholici immoderatis eorum postulatis exacerbati totam negotiationem, non sine maximo fœderatorum damno dissolverent, hinc Oxenstirnius Sueciæ Legatus cum nonnullis aliis Monasterium venit, singulare concordie desiderium præseferens: Huic ergo Cæsarei adhibitis in consilium perpaucis Principum Legatis die duodecima Julii *fnalem*, ut vocabant, *declarationem* Catholicorum nomine exhibuerunt: In eo contra ceterorum mentem plurima Protestantibus denuo indulgere, & quidem primo, terminum restitutionis & possessionis bonorum Ecclesiasticorum necnon jurisdictionis Ecclesiasticæ ad annum hujus sæculi vigesimum quartum retrahere, & destitutos in possessionem dicti anni restitui, in Ecclesiis immediatis statuta antiqua, necnon Menses Papales juxta hujus anni usum observari indulserunt, utque Nobilitas immediata necnon civitates Imperiales tam quoad Religionem, quam quoad bona Ecclesiastica possessione & observantia gauderent, declararunt.

Omnia bona Ecclesiastica immediata & mediata præfato anno a Protestantibus possessa, nisi sint extra usurpantium territoria, aut aliis Catholicis statibus incor-

incorporata, ad centum annos possi- Sæc. XVII.
A. C. 1646.
denda, Protestantibus reliquere: ea,
quæ pro annatis &c. antea Pontifici,
nunc Cæsari pendere voluerunt; in mixtis
vero Ecclesiis jus primarum precum ita
Cæsari asseruerunt, ut ei liberum sit
vel Catholicum vel Lutheranum præ-
sentare: ubi vero sola viguerit Lutheri
secta, Lutheranum præsentet: in illis
quoque Monasteriis, ubi præfato anno
tam Catholici quam Lutherani fuere,
salvis utrinque juribus permixtim re-
maneant: in Augustana etiam civitate
Lutheranis duo Tempia concedantur.

Hanc Cæsareorum declarationem
Oxenstirnius Osnabrugæ Protestantibus
exhibuit. Hi tamen ex ipsa Catholi-
corum indulgentia efferatiores effecti,
die vigesima quarta Augusti aliam de-
clarationem, quam pariter *finalem* seu
ultimam vocabant, Comiti de Lamberg
& Cranio Cæsareis Oratoribus tradi-
dere; in ea præprimis terminum, *a quo*
restitutio incipiat, ad annum hujus
seculi vigesimum primum extenderunt,
quin tamen ante hunc terminum gra-
vati, v.g. Palatinus Comes, Biberacum,
Dunkelspila & Kaufbura a restitu-
tionis beneficio excludantur: termi-
num vero *ad quem* voluerunt esse cen-
tenarium: Menses Papales & preces
primas in Ecclesiis mixtis duntaxat
Hist. Eccles. Tom. LXI. X circa

Sæc. XVII. circa Catholicos electos valere censue-
A. C. 1646 runt. Annatas vero, jura Pallii. con-
firmationum &c. rejecerunt: mediata
bona Ecclesiastica, oppignorationes,
Nobilitatem immediatam, civitates Im-
periales etiam mixtas ad statum præ-
fati anni restitui petierunt: Egram,
& Donawertham in pristinum liberta-
tis Imperialis statum reponi, Aquis-
granensibus vero, Comitibus, Nobili-
bus, urbibus, communitatibus, & Ca-
tholicorum subditis publicum sectæ suæ
exercitium, si illud præfato anno ha-
buere, etiam in hæreditariis Cæsaris
Provinciis concedi, & sectæ causa
exulantibus reditum & libertatem con-
scientiæ indulgeri postularunt, & ne-
minem deinceps ad emigrandum esse
compellendum, nec ab opificiis, officiis,
aliisque civium juribus arcendum,
omnem vero immutationem a Palatino
Neoburgico Solisbaci & Hilpoltsteinii
factam, esse rescindendam decreverunt.
Denique jus reformandi ex jure feu-
dali, gladii, criminalis jurisdictionis,
Patronatus &c. nullatenus inferri posse,
proin omnia reformatæ ad statum dicti
anni reducenda esse declararunt.

§. XCII.

§. XCII.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.*Cæsaris sollicitudo pro inveniendo
postulatorum temperamento.*

Interim Ferdinandus Imperator ea, qua *Mayer acta*
 inclaruit, pietate ac Religionis Zelo *Pac. West.*
 omnes tentabat vias, quibus iniqua *t. 3. l. 20.*
 Protestantium postulata temperare, ac *§. 12. &*
 tamdiu exoptatam pacem promoveret *seqq.*
 posset. Eo fine doctissimorum juxta ac
 gravissimorum Virorum judicia expeti-
 vit, ne in tanti momenti negotio Deum,
 suamque conscientiam læderet, nec
 Catholici, crescente Protestantium per-
 vicacia, diutius cum extremo anima-
 rum periculo affligerentur: Præcipie-
 bat etiam suis Legatis Monasterii &
 Osnabrugæ agentibus, ut cum Mogun-
 tinis, Coloniensibus & Bavaris Orato-
 ribus desuper sedulo deliberarent, si-
 mulque, quinam inter Protestantes
 magis proterve tam exoticis postulatis
 insisterent, expiscarentur, eisque, si
 omnem moderationis viam respuerent,
 palam declararent, quod Catholici po-
 tius extrema quæque oppetere, quam
 a juribus sibi ab antiquo, necnon ex
 pace Religionis competentibus rece-
 dere parati essent: Præterea Monaste-
 rium ad eosdem Oratores suos man-
 data transmisit, quorum præcipua hæc
 X 2 erant

Sæc. XVII. erant capita: I. si Protestantes obla-
 A.C. 1646. tam centenariam possessionem omnino
 rejicerent, perpetua permitti poterit:
 II. terminus *a quo* possessionis Ecclesia-
 rum immediatarum sit annus hujus sæ-
 culi vigesimus octavus, cum ex anno
 vigesimo septimo aliunde Catholicis
 parum commodi accederet, præcipuis
 Episcopatibus &c. hoc anno jamjam
 per Protestantes usurpatis: proin amo-
 re pacis circa reliquas Ecclesias con-
 descendatur, dummodo Osnabrugensis
 & Mindensis Catholicis servari possint.
 III. Anni tantum millesimi sexcentesi-
 mi decimi octavi nulla fiat mentio. IV.
 Electis ad usurpatas Ecclesias investi-
 tura, Sessio & suffragium in comitiis
 præstito fidelitatis juramento indulgeri
 poterit. V. Menses Imperiales in vi-
 cem Papalium substituantur. VI. In
 Episcopatus Capitula, Collegia &c.
 A catholicis præfato anno ibidem de-
 functis subrogentur A catholici, & Ca-
 tholicis Catholici. VI. Reservatum Ec-
 clesiasticum observetur in Ecclesiis, quæ
 penes Catholicos remanere debent.
 VII. Petatur Catalogus earum Eccle-
 siarum mediatarum, quas Lutherani
 prætendunt. VIII. Subditis Catholi-
 corum Statuum denegetur credendi li-
 bertas, salvo tamen emigrandi jure.
 IX. Catholici non magis, quam Prote-
 stantes

stantes quoad jus in subditos graventur, *Sæc. XVII.*
 & utrique parti justitia administretur. *A. C. 1646.*
 X. Jurisdictio Ecclesiastica, ultro quam
 in Pace Religionis expressum est, &
 Catholici jam nuper condescenderunt,
 non restringatur. XI. A Pace Reli-
 gionis præter Catholicam Religionem
 & Augustanam confessionem ceteræ
 omnes excludantur. XII. Non solis
 Protestantibus relinquatur judicium,
 quisnam præfatæ confessioni addictus
 sit, vel non, ne sub hujus confessionis
 obtentu plurimæ sectæ in Imperium ir-
 repant. XIII. Ordo Equestris imme-
 diatus quoad beneficia pacis Religiosæ
 æquetur aliis Statibus majoribus,
 hæc tamen prærogativa non extendatur
 ad loca alienæ jurisdictioni obnox-
 ia. XIV. Civitates Imperiales in eam
 Religionis libertatem, quæ ipsis ex
 præfata pace competit, reponantur,
 Augustana vero Urbs legibus initæ
 conventionis relinquatur, ceteræ vero
 urbes, si tempore hujus pacis Luthe-
 ranæ sectæ exercitium habuisse constet,
 in ea non minus, quam in Catholicis-
 mo conserventur, & Donawerta refu-
 sis expensis restituatur. XV. Pax Re-
 ligiosa nullibi nisi in publicis Imperii
 comitiis explicetur &c. XVI. Præva-
 leant plurium suffragia, nisi de Reli-
 gionis agatur dissidiis, & quæ eam
 X 3 se-

Sæc. XVII. sequuntur. XVII. Ad Generalia co-
A. C. 1646. mitia remittantur ea, quæ pro refor-
 matione justitiæ Protestantes protule-
 runt. Hæc Cæsaris mandata ad Ma-
 jestatis suæ Oratores die vigesima quarta
 Augusti Monasterium fuerunt perlata.

§. XCIII.

*Alia, inutilis tamen, consultatio de
 transactionis mediis.*

Hæ tamen conditiones nec Prote-
 stantium cupiditati satisfaciebant,
 nec Catholicorum damna minuebant:
 Lamentabantur Episcopi, sibi innoxii
 jurisdictionem suam, & integros Epi-
 scopatus eripi: lugebant Ecclesia-
 stici, hac transactione se suis pos-
 sessionibus, quas inter belli turbas
 servassent, spoliari, subditorum ani-
 mas ad hæresin rapi, Capitula, &
 Monasteria A catholicis misceri, inverti
 omnia: querebantur civitates Catho-
 licæ præcipue Augustana jure Religio-
 nis quæsito exui, & Catholicos inde a
 Magistratu Lutherano proscribi, de-
 mum ex hac transactione Protestantibus
 omne lucrum, & Catholicis ingens
 damnum accerfiri. Protestantes vero
 Catholicorum pusillanimitate audacio-
 res facti mitiora compositionis media
 respue-

respuebant, ac pertinaciter iniquis postulatis die vigesima quarta Augusti propositis insistentes postulabant, ut Catholici ad ea responderent, & Osnabrugam suos Deputatos ablegarent, qui ad Cæsareorum Suecorumque arbitrium cum Protestantibus de concordiae viis conferrent. Verum Catholici Osnabrugam venire, Suecosque pro arbitris agnoscere detrectabant; probe enim perspectum habebant, hæc Protestantium consilia eo tendere, ut Catholici Suecorum potentia oppressi, omnique, præcipue Legati Apostolici ope destituti, ad omnia Protestantium postulata descendere compellerentur: quapropter per Cæsareos Oratores Protestantibus exprobrabant, quam indigne hucusque Catholicos habuissent, cum tamen hi soli pacis studio ad conditiones satis duras descenderint, ipsi e contrario nihil de violenter ereptis reddere, sed potius nova usurpare molirentur: Transactionem Passaviensem, pacem Religiosam, Comitiorum decreta, pacta particularia, Ecclesiarum & Capitulorum statuta, & consuetudines antiquas, quousque ipsis proficua sunt, deprædicent, quatenus vero Catholicis favent, aboleri postulent: terminum a quo restitutionis annum hujus sæculi vigesimum primum in sui

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

Sæc. XVII. favorem designent, mox autem in Ca-
A. C. 1646. tholicorum odium immutent: in civi-
tätibus Imperialibus, ubi utraque Re-
ligio viguit, Lutheranam revocari pe-
tant, Catholicis vero suæ fidei exerci-
tium denegent, etsi ibi tempore pacifi-
cationis illud certo viguerit: hætenus
jus reformandi ob territorialem juris-
dictionem exercuerint, nunc illud Ca-
tholicis ob hunc titulum denegent: Cæ-
sarem ad servanda rebellibus promissa
adigant, vicissim vero, quæ Cæsari pro-
mississent, irritari velint; Cæsari glo-
riosum asserant, si Lutheranos in suis
ditionibus foveat, inglorium, si Catho-
licam Religionem in illis & in quibus-
dam Imperii ditionibus revocatam con-
servet: insuper cunctas Protestationes
generatim velut protervas detestentur,
cum tamen ipsimet a solemnī suā pro-
testatione *Protestantes* dicantur: Deni-
que eisdem ultimato, ut ajebant, de-
clararunt, se ultra, quam die duode-
cima Julii exposuissent, descendere nec
velle, nec posse: id unicum tamen Pro-
testantibus adhuc concedere, ut Catalo-
gum bonorum Ecclesiasticorum, quæ
sibi restitui aut cedi prætendant, con-
signare possent. Cum vero Catholici
Osnabrugam venire, constanter recu-
sarent, Protestantes magno numero,
unacum Oxenstirnio & Salvio Sueco-
rum

rum Legatis Monasterium contende- Sæc. XVII.
A. C. 1646.
runt, ut mutuis inter se consiliis Re-
ligionis dissidia componerent: nil ta-
men ibidem agitatum, nisi quod tam
Catholici quam Protestantes in annum
hujus sæculi vigesimum quartum tan-
quam terminum, a quo restitutio bo-
norum Ecclesiasticorum fieret, consen-
serint, & hi quidem ea lege, ut Lu-
therani, qui ante hunc annum se gra-
vatos fuisse quererentur, per hunc ter-
minum non excluderentur, Catholici
autem, ut transactæ, judicatæ & decisæ
res ab hoc termino immunes essent:
dum vero Catholici Lutheranos, & hi
vicissim illos arguerent, quasi quod
una manu largiti essent, altera mox
auferrent, nulla re confecta collo-
quium est dissolutum.

§. XCIV.

Novæ transactionis articuli a Cæsareis Oratoribus propositi.

Haud parum Catholicorum pusillanimitate, & immodico maturandæ pacis ardore, quem Cæsarei Oratores præseferabant, Protestantes in urgendis suis postulatis firmabantur; unde rejectis omnibus compositionis moderatæ viis Catholicos ad eam necessitatem redigere adlaborabant, ut trans-

Sæc. XVII.
A. C. 1646

actionis arbitrium Catholici Cæsareis, quemadmodum ipsi Suecis, deferre cogerentur, captato exinde hoc emolumento, ut Protestantes de Suecorum favore, & Cæsareorum indulgentia certi, quæcunque peterent, a Catholicis extorquere possent, e contrario autem Catholici nihil favoris a Suecis, parum vero a Cæsareis ad indulgendum nimium proclivibus expectare valerent: eapropter optabant Catholici, ut præcipue Trautmansdorffius Comes a Westphalia ad Cæsaris aulam reverteretur, ne præcipiti ejusdem liberalitate Catholicis avita sua jura & bona aut imminuerentur, aut omnino eriperentur: verum Protestantes nullum non movebant lapidem, ut sub specioso opus bene cæptum perficiendi obtentu Comitem ad diuturniorem in Westphalia commorationem inducerent: nec eorum conatibus defuit optatus consilii successus: nil ergo Catholicis reliquum erat, nisi ut Cæsareos Oratores impense rogarent, quatenus saltem nihil citra Catholicorum assensum Protestantibus cederent, resque transactas ac decisas immutari, vel firma Catholicorum jura imminui, nullatenus paterentur, sed articulis die duodecima Julii propositis firmiter insisterent. Pollicebantur equidem Cæsarei suam

suam opem, de successu tamen dubii, Sæc. XVII.
 Monasteria Ducatus Wirtenbergici Ca- A. C. 1646.
 tholicis vindicari, & Augustanam ur-
 bem in pristinum religionis, & Regi-
 minis statum reduci posse, vix non de-
 sperabant; quippe Protestantes a mo-
 deranda petitorum duritie adeo erant
 alieni, ut per Salvium Sueciæ Orato-
 rem acerbiora, quam unquam fecissent,
 postularént, & præprimis quidem, ut
 Episcopatus Osnabrugensis unacum ci-
 vitate mox Lutheranis cederetur, aut
 saltem Gustaphus spurius Sueciæ Re-
 gis Filius Francisco Guilielmo moderno
 Episcopo Coadjutor adjungeretur, &
 Augustana Urbs in integrum restitue-
 retur; plura adhuc alia, quæ si ultro
 non concederentur, per armorum poten-
 tiam extorquenda minitabantur, bene-
 ficii loco a Catholicis habendum rati,
 si eis pauca adhuc relinquerent, & non
 omnia adimerent: Ne vero Cæsarei
 quicquam in se desiderari paterentur,
 die prima Decembris auctiores novæ
 transactionis articulos Protestantibus
 proposuere, polliciti, quod I. bona
 Ecclesiastica, mediata æque ac imme-
 diata, quæ Protestantes ejectis Catho-
 licis usque ad primam Januarii diem
 anno hujus sæculi vigesimo quarto oc-
 cupassent, retinere possent, donec Re-
 ligionis dissidia componerentur. II.
 Imme-

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

Immediatarum Prælaturarum & Episcopatum usurpatores in Imperii comitiis locum medium inter Ecclesiasticos Ordines habeant, postquam a Cæsare *investituram duplicato laudemio* petierint. III. In Collegiis, ubi præfato anno partim Catholici, partim Lutherani erant, tales imposterum admittantur, excepto Capitulo Argentinenfi. IV. Ex omnibus Monasteriis, quæ Dux Wirtembergicus Catholicis reddere debuisset, his tantum octo reddantur extra Ducatum sita. V. In Lutheranis Imperii civitatibus sit eadem sectæ libertas, quæ recens concessa est Imperii Principibus in suis Principatibus. VI. Civibus Augustanis Lutheranis ea Templâ quæ ipsimet exstruxerunt, restituantur. VII. Lutheranis in Silesia & Austria inferiore intra decennium vel Religionem vel solum mutandi libertas sit. VIII. Jurisdictio Ecclesiastica in Lutheranos non exerceatur, nisi alter litigantium in causis matrimonialibus Catholicus & reus sit. IX. In Religionum dissidiis non juxta suffragiorum pluralitatem, sed coram Assessoribus pari numero ex utraque religione decidatur. Hæc, pluraque alia ad emolliendos Protestantium animos Catholici non sine irreparabili damno tunc indulgere decreverant, incassum licet, eo-

eoquod Protestantes a postulatis suis Sæc. XVII.
 nuper propositis, ne latum quidem un- A. C. 1646.
 guem recedere, firmum fixumque
 haberent.

§. XCV.

*Arcana Adversariorum consilia contra
 Cæsarem & Imperium.*

Eodem tempore, quo Cæsar atque Maier Act.
 Electores Catholici Imperio pacem pac. Westph.
 caro admodum pretio reddere adlabo- t. 2. l. II.
 rabant, non deerant exteri, qui ad e- §. II. p. 208.
 vertendum Imperium, & regna clam
 exitialia cuderent consilia: Hæc vero
 mature fuerunt detecta, & ut sibi om-
 nes, quorum interesset, prospicere pos-
 sent, Osnabrugæ scriptum illud dissemi-
 nabatur, quo in aprium venerat, quor-
 um arcana hostium consilia sub spe-
 cioso conciliandæ pacis obtentu colli-
 marent: Enimvero Maierus hæc a pa-
 cis turbatoribus conficta, ac nonnisi
 discordias propagandi studio in vulgus
 fuisse sparsa autumat: verum ex rei
 successu, postulatum insolentia, ja-
 ctatis hostium minis, & clandestinis
 foederibus & machinationibus, conci-
 tatisque per varia regna seditionibus
 sat luculenter quorundam ferius ejus-
 modi consilia exequendi animus dete-
 gitur: Erat autem sequens hujus scripti
 tenor:

„Oxen-

Sæc. XVII.

A. C. 1646.

„Oxenstirnus Plenipotentarius Sue-
cicus ad tractatum Osnabrugi, misit
Landgraviæ Hassiæ institutionem se-
cretam, quam non modo Galli ap-
probarunt, sed etiam per suum Lega-
tum Hagæ Comitum in Hollandia di-
ligenter consultarunt, cujus instructio-
nis summa hæc est:

1. „Lactandi sunt nuda spe pacis
Electores, Principes, & status Ger-
manicæ, exceptis Hassis, donec Hi-
spani prorsus in Belgio sint debellati,
quod quidem hodie est in proxima
potentia.”

2. „Deinde debere Gallos & Hol-
landos, qua data porta, in imperium
irrumperere, Cæsarem deponere, abo-
lere Septem-Virorum Electorale Col-
legium, Imperium ejusque compa-
gem dissolvere, formare Rempubli-
cam Aristocraticam, ita tamen, ut
Gallis Alsatia & quidquid est antiqui
limitis Gallici, usque in Geldriam at-
tribuatur; Hollandis vero Episcopa-
tus Monasteriensis cum plerisque di-
visionibus inter Rhenum & Visurgim,
cum reservatione tamen Catholicæ
Religionis & jurisdictionis solum
quoad Personas, & Hassio-Cassellensi-
bus Calvinianis, Episcopatus Pader-
bornensis, pars Westphaliæ, Colo-
nien-

„nienſis, unacum Marburgenſi & Darm-
ſtadenſi ditione cedant.,,

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

3. „Quod ſi res Bavaro detegere-
tur, & in Belgio nimis prospere & ex
voto eveniat, ita ut Bavarus alios ad
ſe vere Neutrales traheret, & poten-
tior evaderet, videndum eſt, ut Ba-
varo perſuadeatur, ut tum Palatinis
ditionibus, tum Francica pecunia e-
jus conſenſus ematur, quo Imperium
in ſe ſuſcipiat, hocque faſcino quaſi
ſoporifero ſtatibus Catholicis inquie-
tius illudatur, & veteranus induca-
tur.,,

4. „Cum enim Baviaræ Elector jam
deveſtæ ætatis ſit, ut non procul ab-
ſit a morte, Dominatus Imperatorius
brevis erit, & poſt ejus obitum nul-
lus deinde Imperator futurus.,,

5. „Principibus Germanis exem-
plo eſſe debere Principes Italicos, eo-
quod iſtis integrum erit, cum Coro-
nis exteris Fœdera inire, imo ſingulis
licebit, more Italicorum Principum,
in ſuis ditionibus ſe pro Regibus ge-
rere: Suecis denique tota Pomerania
cedatur.,,

6. „Acta & Registratura Cameræ
Imperialis Spirensis ducentur Parisios,
ubi cuique Principum jus erit acqui-
rendum.,,

Hos

Sæc. XVII.

A. C. 1646.

„Hos Articulos MALSPURGIUS
 „Hafficus Commissarius Generalis cui-
 „dam ex suis intimis prælegit ex scri-
 „pto, quod habuit in manibus, addens,
 „jam nihil esse, quod de prioris partis
 „executione dubitetur.,

7. „Fore deinceps in Imperio res
 „sublimes, minores vero Status & præ-
 „sertim Nobiles Principibus subditos,
 „imo mancipia futuros, interea nihil
 „supereffe, quod contra opponatur,
 „hæc jam esse omnino decreta & con-
 „stituta, ita ut a nemine amplius pos-
 „sint interverti.,

„His itaque pro principio constitutis,
 „non contenti Adversarii ulterius nimio
 „& solito spiritus sui fervore ad alia
 „consilia agitentur. Constat enim,
 „quod Anglia, Suecia, Hollandia una
 „cum Germanis fæderatis novum fœ-
 „dus jam sanciunt, infcio & excluso
 „Rege Franciæ. Cogendum etiam esse
 „Regem Angliæ ad eum modum, quo
 „coactus est Rex Daniæ ad Pacem si-
 „milis normæ faciendam, unde talis
 „rerum conditio nascetur & formabitur,
 „quæ Catholicis admodum dura & exi-
 „tialis evadet.,

„Et quamvis Electoris Saxonix,
 „Hugenottarum Galliæ, Hæreticorum
 „Hungariæ, Poloniæ & aliorum fiat
 „mentio, non est tamen dubium, quin
 „om-

„omnes sint in eadem navi, iisdemque
 „remis incumbant, & non modo Ca-
 „tholicæ Germaniæ, sed etiam in ipsam
 „Regem Franciæ & tandem in Italiam
 „& Hispaniam, nisi Deus prohibuerit,
 „exitum & extrema quæque mediten-
 „tur.”

Sæc. XVII.
 A. C. 1646.

§. XCVI.

*Actum de tollendis Ordinum Imperii
gravaminibus.*

Verebantur Galli, ne religionum dis-
 fidiis inter Ordinum Legatos com-
 positis, ipsi satisfactionis emolumento
 privarentur, ac Cæsar conciliatis sibi
 Protestantibus Gallos, Suecosque Im-
 perio ejiceret: Hos ergo præprimis
 conveniunt Galli, expositoque com-
 muni periculo præ ceteris de reddenda
 utrique parti satisfactione agi postu-
 lant: Lactant Cæsareos, Catholicos-
 que amplis validæ opis pollicitationi-
 bus, reluctantibus quoque apertis terrent
 minis, palamque denuntiant, effecturo
 se, ut Protestantes non modo cun-
 cta, quæ hucusque postulassent, sed
 longe ampliora in perpetuum conseque-
 rentur: postea in satisfactionis partem
 sibi a Cæsare utramque Alsatiæ, Bris-
 goviam, Brisacum, Sundgoviam, &
 quatuor Sylvestres urbes pleno jure re-
 lin-

*Bougeant
 Bell. tric. l. 5.
 tom. 2.
 Recueil des
 traités.
 Adam. Re-
 lat. Pac.
 West. c. 15.
 S. 5. & seq.*

Hist. Eccles. Tom. LXI.

Y lin-

Sæc. XVII.
A. C. 1646. linqui, & perpetui præsidii jus in civi-
tatibus Philippiburgo, Benseldo & Ta-
bernis concedi postulabant: Tandem
Cæsarei Oratores Monasterii die vigesi-
ma sexta Maij consensere, ut utraque
Alsatia unacum Sundgovia ad Fran-
ciæ Regem transfret, adjectis tamen
quibusdam conditionibus, quas tamen
Galli rejecerunt, cuncta sibi amplissimo
jure cedi postulantes: cum vero de Cæ-
saris consensu desperarent, potentiores
Catholicorum Ministros auro ac pro-
missis in suas partes pertrahere nitun-
tur, Mazarinus quoque Cardinalis per
Apostolicæ Sedis Nuntium Bagnium
Parisiis agentem, Bavarix Electori su-
periores Palatinatum, dignitatemque
Electorem pollicebatur, ea lege, ut
Cæsarem ad cedendas hasce Provin-
cias & urbes induceret. Hic idem
Cardinalis innovavit foedus cum Bata-
vis anno hujus sæculi trigesimo quinto
die octava Februarii initum, vi cujus
Belgium Catholicum licet nondum esset
captum, Galli & Batavi inter se jamjam
ita partiebantur, ut Batavi Antverpiam
& Mechliniam urbes unacum Braban-
tiæ Ducatu, reliquum vero Catholici
Belgii Franciæ Rex sibi vendicaret:
vicissim vero Hispanis Catalonia & Ru-
scinonensis Comitatus assereretur.

§. XCVII.

§. XCVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

*Bavariæ Electori suavisum, ne Alsati-
am & Brisaccum in Gallos
transferri consentiat.*

Obstiterere vehementer Austriaci, & præcipue Claudia Archiducissa, ne suis Filiis, innocuisque Pupillis Oeniponti agentibus Alsatia & Brisaccum utpote illorum patrimonium eriperetur: Hispani quoque intime dolebant, quod Regi Catholico jus hæreditarium in Alsatiam auferetur, tamque duris conditionibus ac Germaniæ noxiis pax extorqueretur, quæ tamen æquioribus obtineri posset, si Catholici excussa timiditate Cæsari opem ferre vellent; tum enim Rex Catholicus illis numero milite pecuniisque præsto futurus esset: Denique Argentinenſes, necnon decem civitates Imperiales, imo ex Acatholicis non pauci adversus hanc cessionem reclamabant, Religionis suæ, libertatisque periculum veriti: nihilominus Galli, etsi eis Cæsar quinque urbes alias offerret, tam pertinax Brisacci desiderium præseferrebant, ut etiam accepta repulsa bellum esse continuandum minitarentur: Hos haud parum firmabat Trautmansdorffii Comitis facilitas ad Gallorum Suecorumque postulata

*Recueil des
trait. p. 393.*

Sæc. XVII. stulata nimium proclivis. Suffragaba-
A. C. 1646. tur etiam Gallis Maximilianus Bava-
 riæ Elector, qui Coloniensi Electore
 Fratre suo in eandem sententiam per-
 tracto, Cæsarem datis literis, ut Bri-
 faccum, unicum pacis conficiendæ ob-
 staculum Gallis cederet, impellebat,
 se Cæsarem omni ope destitutum
 comminatus. Non deerant tamen, qui
 hanc cessionem Bavaricæ Domui oppi-
 do nocivam fore demonstrarent, præ-
 cipue eo ex capite, quod Bavarus Au-
 striacos ad hanc cessionem ex boni pu-
 blici causa obstrictos esse diceret, cum
 tamen ipse potius ex ejusdem boni pu-
 blici studio ad Palatinum cedendum
 excitari debuisset, eoquod ejus trans-
 latio potissimum fuerit hujus belli in-
 centivum: Vulgabatur inscriptum
 quoddam plurimas continens rationes,
 propter quas Bavaricæ Domui haud
 consultum esset, Brisaccum cum Alsa-
 tia Gallis cedere, & primo quidem,
 „ipsa rei nemini non evidens iniquitas
 „reclamat, cum innoxiiis pupillis eri-
 „piatur patrimonium, eo fine, ut Do-
 „mus Bavarica bello parta retineat, ut
 „dum hæc de lucro certa esse vult, il-
 „linc de damno vitando certetur: in-
 „spiciatur belli germanici origo, a fa-
 „milia Wittelsbachica, non Habsbur-
 „gica, & a Protestantibus, qui grava-
 „mina

„mina sua, in quibus speciatim domui
 „Bavaricæ Donawerdensem executio- Sæc. XVII.
 „nem, & Coloniensem successionem im- A. C. 1646.
 „pingebant, nonnisi armis expediri vo-
 „lebant, promoti.„

„Fuerit sane primus quidem ejus
 „belli finis domus Austriaca, secunda-
 „rius fuit Bavarica, post omnium ca-
 „tholicorum oppressio; id quod ipse
 „Dux Bavaricæ Litteris suis nunc typo
 „vulgatis testatus est, illiusque adeo pro
 „visu periculi jam dudum ille antea
 „ligæ se Catholicæ auctorem, post Du-
 „cem præbuit; brevi inde bellum ipsum
 „erupit, in quo Bavarus ita se gessit,
 „ut foederis catholici copias contra
 „Unionistas duceret, deinde pacifica-
 „tione Ulmensi cum iisdem decideret,
 „expresso pacto, ne Palatinum extra
 „Bohemiæ fines offenderet. Juvit ita-
 „que Cæsarem, sed nonnisi amplissimis
 „promissis, & nominatim pollicita Ele-
 „ctoralis Dignitatis, & Palatini patri-
 „monialium Regionum mercede con-
 „ductus; quod an ei per pacificationis
 „Ulmenfis leges liceret, protestantes
 „negant, cum sine hujusmodi auctora-
 „mento, & juratæ Cæsari subjectionis
 „religione, & legibus imperii, quibus
 „quilibet status alteri injuste offenso sup-
 „petias ferre tenetur, denique ipsa ne-
 „cessitate suadente, cum nonnisi salvo
 Y 3 „Cæsa-

Sæc. XVII. „Cæsare salvatus esse posset, Cæsari
A. C. 1646 „opitulari debuisset. Victoria Pragen-
 „sis jus belli asseruit, & Palatino ex
 „Bohemia profugo omnia in eum sta-
 „tum redibant, quo erant ante belli ini-
 „tia, & poterant honesta pace contro-
 „versæ finire cum protestantibus, nisi
 „belli sumptus reflagitanti Bavaro Cæ-
 „sar ei coactus esset Superiorem pala-
 „tinatum invadendum relinquere, mox
 „ipsam electoralem Dignitatem in eun-
 „dem transferre. Hæc illa fuit om-
 „nium subsequentium inde bellorum
 „alea, & hujus excidii, in quod præ-
 „cipites ivimus, causa præcipua: Cum
 „protestantes, quamvis perpetuis cla-
 „dibus domiti, domum tamen palati-
 „nam extorrem imperio pati non pos-
 „sent, ejusdemque restituendæ gratia
 „externa arma inveherent. Nam bel-
 „lum Danicum hinc ortum esse nemo
 „negat. Suecici etiam belli causa pos-
 „set aliqua ex parte in edicti Ecclesia-
 „stici publicationem rejici; sed ubi ve-
 „ra & genuina belli germanici causa
 „hæserit, docuit conventus Ratisbo-
 „nensis Anno 1630. peractus; cum res
 „ibi locorum essent, ut Cæsar cum pro-
 „testantibus honestissimam pacem inire
 „posset, aut si suis consiliis sine inter-
 „pellatione uti potuisset, facile ei fuisset
 „statum dicto audientium quietem
 „victi-

„victoriebus armis protegere. Sed paci Sæc. XVII.
 „cum protestantibus intercessit Bava- A. C. 1646.
 „rus, nolens Palatinatu cedere, nisi
 „sibi aliunde a Cæsare, cui interea
 „persuaserat, ut se tredecim millionum
 „debitorem constitueret, & nominatim
 „concessa Superiori Austria satisfacere-
 „ret. Utque ejus rei sibi Patronum
 „aliquem pararet, & vindicem, occulta
 „cum Gallo ferere consilia, & clande-
 „stinis se foederibus illigare cæpit, gal-
 „licæque gratia colligendæ studio Man-
 „tuanum bellum coegit Cæsarem Vi-
 „ctorem æquis cum victo conditioni-
 „bus componere. Mox Wallensteinium,
 „(cujus fortunæ & rerum gestarum
 „ad eum diem neminem pœnitebat)
 „exauctorare & foederis Catholici, quod
 „jamdudum abolita Protestantium unio-
 „ne & ipsum aboleri æquum erat, id-
 „que ut fieret, Protestantes magnopere
 „contendebant, perpetuationem ad-
 „mittere; prorogati ergo belli gallici
 „fatum, ut & excitati, non penes
 „Habsburgicam, sed Wittelspachicam
 „familiam quæras licet. Dum enim
 „Ratisbonæ hæc Cæsari extorquentur,
 „Gallis interea metu armorum a Cæ-
 „sare solutis, expertisque omnia a Cæ-
 „sare, suffragante Bavaro, impetrari
 „posse, vacuum liberumque fuit Sue-
 „cum in Germaniæ, nil tum nisi rerum
 Y 4 „muta-

Sæc. XVII. „mutationem spirantis, viscera arma-
A. C. 1646. „tum inducere, novumque ad veteres,
 „& gravissimum imperio hostem exci-
 „tare. At Bavarus harum rerum aut
 „inscius, aut incuriosus, eo solo trium-
 „phare, quod summa rei militaris ad
 „Tillium, clientem suum, rediisset,
 „Gallorum fraudes nescire, Sueci vires
 „contemnere, & intempestivæ parci-
 „monix studio lectissimum foederis Ca-
 „tholici, & Victorem militem, non per-
 „soluta stipendio dimittere, qui uno
 „inde agmine ad Suecum concessit, gra-
 „tulante illo sibi, quod Bavari hostis
 „sui beneficio jam is esset, ut nulla a-
 „perti prælii alea detrectanda ipsi foret.
 „Atque hæc eo tempore agebantur,
 „cum quidquid est in Germania prote-
 „stantium Lipsiæ convenisset, ibique
 „adventantis Sueci fiducia exagitare-
 „tur, ut quam iniquissimæ Cæsari &
 „Catholicis pacis condiciones extorque-
 „rentur, a quibus si quis crederet e-
 „lectoralem Dignitatem exceptum, ac
 „præterito Palatino, Bavaro perpetua-
 „tum iri, nimis is simplicis oportet fue-
 „rit ingenii. Ecce autem insperata
 „Lipsiensi clade fortuna Catholicorum
 „uno omnis impetu concidit, Bavari-
 „que mens, quæ ante cladem erat con-
 „fidentissima, post eandem facta est ab-
 „jectissima, ut nil jam nisi de Bavaria
 „con-

„conservanda cogitaret. Itaque licet Sæc. XVII.
 „Tillius collectis cæsi exercitus reliquiis, A. C. 1646.
 „& adjuncto Lotharingio, copiisque
 „Cæsaris ex Italia adventantibus, ita
 „vires suas refecisset, ut Sueco victori
 „par esset, & prope Würtzburgum e-
 „gregiam habuisset occasionem paris ei
 „referendæ cladis; quod Rex ipse fas-
 „sus est, nunquam se in majori discri-
 „mine fuisse, quam tum, cum ipse exi-
 „guis cum copiis instructissimo hosti
 „tam prope confedisset, & coegit ta-
 „men Tillium Bavarus, omissa omni
 „alia cura, omisso Lotharingio, quem
 „interea Galli provincia sua omni exue-
 „runt, citatum agmen ad Bavarix fi-
 „nes convertere. Qua in professione
 „fugæ simili testatissima res est exerci-
 „tui illi, a quo plenis turmis se mili-
 „tes subducebant, & maximam partem
 „ad hostes transibant, plus virium de-
 „cessisse, quam si duplicatam justo præ-
 „lio cladem accepissent. Culpam si
 „nullam hic agnoscit suam Bavarus,
 „& illa in fortunæ eventum rejicienda
 „est, quo colore excusabitur, quod
 „mox inscio Cæsare, insciis Catholici
 „fœderis Sociis, tum cum maxime,
 „cum ille Ingolstadii cum istis Mindel-
 „hemi de bello communi consilio ge-
 „rendo consultaret, Gallis Suasoribus
 „neutralitatem illam (quam ut extera-

Sæc. XVII., rum actionum suarum vomitum ipse
A. C. 1646. „Dux etiamnum execrari dicitur) am-
 „biit, nulla communis patriæ, nulla
 „imperii, sed sola sui solius conservandi
 „cura. Sed castigavit scilicet fortuna
 „ipsa imprudentiam consilii, & Suecus
 „Bavariæ illatus, coegit penatibus
 „propriis profugum ad sacram ancho-
 „ram, ad Cæsarem & Wallensteinium
 „profugere, a quo sublevatus non nihil
 „tamen & denuo dejectus; cum Ratis-
 „bona eorum culpa, (qui ut sumpti-
 „bus parcerent, loci præsidium immi-
 „nuerant) amitteretur, brevi tamen
 „opitulante toto exercitu Cæsareo, Ur-
 „bis illius Victor res suas adeo rursus
 „stabilire potuit, ut extincto Wallenstei-
 „nio militaris imperii pars maxima ad
 „eum rediret, & separatam jam ha-
 „bere inciperet exercitum, bavarica-
 „rum imperii copiarum nomine infi-
 „gnem, quo ille nunc instructus, suo
 „arbitratu hinc fert leges, inde dero-
 „gat, & de alienis paciscitur. Nord-
 „lingenfi Victoriæ res imperii reviviscere
 „poterant, si pari ac Suecus ardore usi
 „fuissimus eventu rerum. Sed bava-
 „ricus miles nondum maturo hyberno-
 „rum tempore hyberna petere occu-
 „rans, destituit in cursu rerum cæsa-
 „reum militem, unaque optimas rerum
 „gerendarum occasiones. Insecuta est
 „pax

„pax Pragensis, in qua quanto studio Sæc. XVII.
 „Cæsar egerit, ut salva Bavaro Ele- A. C. 1646.
 „ctoralis Dignitas, & res partæ essent,
 „ne ille quidem ipsemet negabit. Tanti
 „tamen apud eum non fuit, ut postea
 „eligendo imperii Successori gratuitum
 „suffragium inoratus, sed inauratus
 „præstaret. Decessit Ferdinandus II.
 „relictis florentissimis copiis, quibus
 „cum milite bavarico junctis, Gallas-
 „sius Banerium ad maris balthici oras
 „redegit, spesque erat ibi locorum bel-
 „lum constiturum: sed questus est Ga-
 „lassius copiis bavaricis ad coercendos
 „Hassos revocatis optima exercitus
 „parte se nudatum destitui. Eodem
 „anno, cum Verdenfis alteri copiarum
 „bavaricarum parti Præfectus Vinna-
 „riensem Rhenum transgressum felici-
 „ter rejecisset, mirari subiit, cur non
 „Rheno & ipse superato hyberna æque
 „trans fluvium ac ille quæfierit, au-
 „ctusque sic animorum habitus subse-
 „quentium annorum successu. Nam
 „ut in medio relinquatur Brisacum ne
 „servari potuerit, si serio eam in rem
 „allaboratum fuisset, extincto impro-
 „visa morte Vinnario, quin Bavari
 „si confestim Rhenum transjecissent,
 „magnarum rerum occasionem in ma-
 „nibus habuissent, pauci admodum
 „sunt, qui dubitent. Sed cur ne illo,
 „nec

Sæc. XVII.
A. C. 1646

„nec sequentibus annis Bavari sibi un-
„quam quicquam trans Rhenum nego-
„tii esse voluerint, id vero multum &
„sinistri rumoris & suspicacis silentii
„præbuit, eumque nunc tantopere per-
„suasum esse vident, pacem a Gallis
„nonnisi Alsatia & Brisaco concessio-
„haberi posse, ambigere subit, an non
„ab illis, qui aliena jactura, licet in
„eadem navi sint, sua conservare sa-
„tagunt, ultro Gallis hæ conditiones
„sint oblatæ.

„Certum est Gallos non sincere cum
„domo Bavarica amicitiae jus quærere,
„sed id duntaxat, ut ea lactata, & ad
„suas rationes tantisper, dum domum
„Austriacam evertant, adjuncta, mox,
„cum ejus voti compotes erunt, illam
„quoque subruant, solumque id ei be-
„neficio præstent, quod Polyphemus
„Ulyssi promisit, ut eam omnium ex-
„tremam devorent. In sinu lætantur
„Galli, cum tot ad eos literæ, tot Le-
„gationes, nuper ipse bavaricæ con-
„scientiæ ephorus commeavit, cum
„Osnabrugensem alia ex parte audiunt
„Tullensem & Verdunensem Episcopa-
„tus somniantem, rident eum, qui si-
„ne suffragio populi ædilitatem populi
„gerit, & inconsultis trium circulatorum
„franconici, bavarici, & Suevici sta-
„tibus, eosdem gallicæ protectioni,
„aut

„aut neutralitati prostituit, in quam Sæc. XVII.
 „ut Catholici consentiant, id tamen A.C. 1646.
 „nunquam facturi sunt Protestantes.

„Urbes præsertim liberæ, gaudent sibi
 „ultra in manus dari facultatem ulci-
 „scendi eas, quas interdum ex inter-
 „vallo resipuerunt Bavari, eis clades
 „intulerunt. Præcipue cum tam can-
 „dide, quæ sua in Bavarum mens sit,
 „cum sæpe alias, tum nuper sine am-
 „bage P. Veriaccio Galli demonstrarunt,
 „nullam scilicet aliam a Bavaro pacifi-
 „cationem admissuros, nisi præcipuis
 „bavaricæ arcibus sibi traditis, & uno
 „filiorum dato obside.

„Quam mentem, reliquis curis de-
 „functi, domoque Austriaca in ordi-
 „nem redacta, quin contra familiam
 „Bavaricam Amphiarao etiamnum vi-
 „vo, vel mox sub terras condito ipsi
 „sint demonstraturi, dubitet ille licet,
 „qui adeo studio pacis indormiscit, ut
 „ne Galli quidem cantum exaudiat,
 „omnes Germaniæ Principes pares esse
 „Galliæ volunt Galli, aut si quid infra
 „est, pares. Consulatur domus Lotha-
 „ringica, affinitate juncta, quam ut
 „tam longo annorum nexu æque ac
 „olim Burgundicam, Britanicamque
 „familiam opprimere conantur, ita sine
 „dubio voti damnabuntur, si possessa
 „altrinfecus Alsatia, hinc a Germania,
 „illinc

Sæc. XVII. „illinc a Gallia premere poterunt; me-
A. C. 1646. „lioremne conditionem quam Lotha-
 „ringus a Gallis expectare debeant Ba-
 „vari, tempus, quod quidem solum
 „nunc captari videtur, docebit, con-
 „festim atque confecta pace Bavaria
 „inermis erit, dispicient Galli, quem
 „suarum virium terminum esse velint,
 „nec unquam ipsis justus color deerit
 „foederis a Bavaris vel repetendi, vel
 „suo arbitratu interpretandi, atque
 „adeo immutandi.”

„Protestantes in Germania, & vin-
 „dices eorum Sueci, quem habitum ani-
 „morum præstabunt, si revulsa a cor-
 „pore imperii, (cui integro, non de-
 „curtato inhiant), Alsatia, Bavarus
 „ipsis sufferendus sit, aut Palatinatus
 „aut Austriæ Superioris Dominus, &
 „gallica insuper clientela tumidus: aut
 „enim statim se in limine opponent,
 „paceque a Gallo empta neutiquam
 „illum frui sinent, aut tantisper diffi-
 „mulabunt, dum eadem Domus Bava-
 „ricæ, quæ Austriacæ fuerunt fata,
 „appetant.”

„Quod si naturæ concedere contin-
 „gat Serenissimum Bavaricæ Electorem,
 „ætate qua est provectissima, Bavaria-
 „que vel inermis erit, vel destituta e-
 „jus regimine, qui tanta cum pruden-
 „tia hætenus & armis tutando mode-
 „ratus

„ratus est: conquerentur hinc pupilli Sæc. XVII.
 „Tirolenses pennis suis deplumati, & A. C. 1646.
 „sua vel destitui, vel refarciri sibi æ-
 „quum putabunt. Fortassis erit aliqua
 „& de tutela contentio, fratrisque filios
 „ejus, in qua sunt, fortunæ pœnitere
 „incipiet. Repetundarum judicium Ba-
 „varis Commissariis intentabunt Sue-
 „vici, Bavarici, & Franconici Circuli
 „status, erogatarumque contributio-
 „num rationes exigent. Tum vero quid
 „agent Galli, si ut mollissime res ge-
 „rantur ad eos ibitur, aut arbitrium &
 „authoritatem Controversiis interpo-
 „nant; dijudicabunt scilicet litem eo
 „eventu, ut victi Victoresque simul
 „pereant.,
 „At enim providebunt Bavari, ut
 „semper armati, instructique sint, &
 „vi propulsandæ, & fraudi vitandæ, in-
 „juræque prohibendæ: sed suisne id
 „propriis opibus obtinebunt, an vici-
 „norum, ut adhuc temporis, expen-
 „sis? Atqui præseferunt Bavari, ad
 „pacem cum Gallo componendam ur-
 „geri se maxime subditorum suorum
 „querelis, qui tot tantorumque tribu-
 „torum militarium oneri pares se esse
 „ferendo negant; hi sane perpetuo mi-
 „liti alendo multo minus assentient. Si
 „onus hoc in Suevos & Francones solos
 „inclinare volent; at neque illi bello
 „sopito

Sæc. XVII. „sopito belli mala nolentes perferent, & si
A. C. 1646. „aliter se explicare non possint, Bava-
 „ricæ servituti gallicam servitutem
 „præferent, malentque jam dudum
 „potentiori, quam nuper sibi pari
 „subesse.”

„Cum superioribus annis Palatinus
 „Bohemiæ Regnum invasisset, rogatus
 „focer ejus, Rex Angliæ, ut in pos-
 „sessione adventitii Regni generum de-
 „fenderet, negavit eum a se morem
 „introduci debere, ut aliena Regna in-
 „vadentibus auxilio sit; nam idem
 „exemplum posse in se, & in suos re-
 „cidere. Si nunc Bavari æquum cen-
 „sent, ut Tirolensium pupillorum bonis
 „Gallo addictis pacem redimant, vi-
 „deant, ne quod juris nunc in alium
 „statuunt, procedente tempore, eodem
 „& ipsis utendum sit. Dicent Bavari
 „cum tot undique hostibus, & ipso
 „Turca ingruente, ne domui Austriacæ
 „nec Bavaricæ medium ullum belli su-
 „stinendi super sit, sed extrema neces-
 „sitas urgeat pacis quocunque pacto
 „acceptandæ, Galli vero eam non nisi
 „concessa Alsatia facere ullo modo ve-
 „lint, fieri aliter non posse, quin in
 „eam concessionem consentiendum sit.
 „Respondetur, si humano calculo res
 „exigantur, verum id quidem esse;
 „sed si æquitas, si justitia consulatur,
 „&

„& res Deo, non hominibus permittatur, superesse viam ex hujusmodi angustis emergendi. Sed ante omnia necesse est, ut Bavari conscientiam propriam hoc piaculo absolvant, & quod sibi fieri nolint, innocentissimis pupillis ut fiat, non procurent. Cum Domino placuerint viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem, ajunt sacræ literæ; si Bavarus abdicato propriæ utilitatis respectu, in commune Patriæ bonum sensus suos intendat, & si pax jactura aliqua omnino redimenda sit, in eandem jacturam & ipse aliquid de suo concedere velit, ut scilicet damni lucrique partes æqua portione inter omnes, quorum interest pacem fieri, dividantur. Nemo dubitat, quin Deus aut faciliores ad æquam pacem Gallos sit facturus, aut pertinaciam eorum condignis poenis castigaturus.,

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

Attamen sat luculenter apparet, quod hujus scripti Author partium studio abreptus, minus æque de Serenissimo Maximiliano Electore, ejusque gloriosissimis gestis senserit, & integerrima ejusdem consilia in sinistram partem interpretatus sit.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

§. XCVIII.

*Capita conventionis Cæsareæ cum
Gallis.*

*Adam. l. c.
Mayer acta
pac. tom. 3.
l. 19. & seqq*

Verum ipsa Austriacorum oppositione Gallorum aviditas acuebatur, quo circa die vigesima nona Maij & prima Junii coram Mediatoribus declararunt, quod præter alia Metensem, Tullensem ac Virodunensem Episcopatus, Pinarolum, Moyenvicum, utramque Alfatiam, Sundgoviam, Brisaccum & Neoburgum absque ulla exceptione sibi cedi, Palatinatum vero inferiorem, salvo Catholicæ Religionis exercitio, Palatinis restitui postularent. Enimvero Mediatores nullum non movebant lapidem, ut Gallos ad acceptandas conditiones a Cæsare propositas animarent: summi quoque Pontificis Nuntius exhibitis ejusdem literis, ne quid circa Episcopatus cum Sedis Apostolicæ præjudicio decerneretur, iterato petebat. præcipue, cum Galli hæc verba a Cæsareis addita: *sine præjudicio jurium Sedis Apostolicæ*, deleri postulassent: Attamen a Gallis haud amplius obtineri poterat, nisi quod promitterent, se recepto Philippiburgo, Suecos ac Protestantes ad æquiora pacis media inducturos, spe facta, tunc etiam

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

etiam faciliorem fore viam cænobia a Protestantibus occupata repetendi. interim multa ultro citroque non sine verborum contentione, & animorum offensione agitabantur, tandem vero Cæsarei nomine Imperatoris & Imperii consensere. I. Ut præfati Episcopatus unacum Moyenvico & Pinarolo ad Gallos pleno jure transferantur, reservato tamen jure Metropolitico. II. Iisdem Brisaccum, utraque Alsatia, Sundgovia unacum decem civitatibus Imperialibus in Alsatia sitis, omnibusque pagis cedantur, & Benfeldæ munitiones, quamprimum Sueci hanc urbem restituerint, sicut & Tabernarum, Heanbacri, & Neoburgi propugnacula solo æquentur, nec unquam munitiones Basilea Philippiburgum usque in citeriori Rheni ripa erigantur. III. Æs alienum, quo Ensisheimiense ærarium gravatum est, in se Ferdinandus Carolus Archidux cum ea parte Provinciæ, quam Franciæ Rex restituere tenetur, in se recipiat. IV. Sit quoque eidem Regi, ejusque Successoribus jus perpetuum tenendi præsidium in Philippiburgensi arce, Episcopo & Capitulo Spirensi reservatis, salvisque omnibus ceteris juribus: Vicissim vero Gallici Oratores pollicebantur, quod I. præfato Archiduci quatuor civitates Sylvestres.

Sæc. XVII. A.C. 1646. vestres, Comitatum Havenstein, Syl-
vam Nigram, utramque Brisgoviam
omnesque civitates in eo sitas, totam-
que Ortenaviam restituere velint, ple-
na negotiandi, commeandi, & navi-
gandi libertate utriusque Rheni incolis
concessa. II. Omnes cujuscunque con-
ditionis incolæ cis & ultra Rhenum
Domui Austriacæ subditi, statim post
promulgatam pacem, omnibus suis bo-
nis & juribus restituantur. III. Tenea-
tur Rex Episcopos Argentinensem &
Basileensem, reliquosque Ordines im-
mediatos, Abbantias Murbacensem, Lu-
decensem, Andlaviensem, Benedicti-
nos in valle S. Georgii, Palatinos de
Lutzstein, Comites de Hanau, Flecken-
stein, Eberstein totamque Alsatiæ No-
bilitatem, ac prædictas decem civita-
tes in pristinam libertatem & Immedie-
tatis possessionem reducere. IV. Rex
præfato Archiduci in compensationem
solvat tres milliones librarum Turonen-
sium. V. Idem in se recipiat duas ter-
tias debitorum ærarii Enfishemiani.
Præterea Galli secreto articulo promi-
sere, quod Rex, dum metus belli Tur-
cici est, quotannis centum quinquaginta millia Thalerorum, fervente au-
tem ipso bello, Cæsari decem armato-
rum millia stipendiis propriis conscri-
pta, per triennium submittere velit.

§. XCIX.

§. XCIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.*Actum de Suecorum, ceterorumque
satisfactione.*

Postquam igitur Galli suis votis tam prompte ac ample satisfactum viderant, una ex parte Cæsareis spem fecerunt, quod suos foederatos facili negotio ad moderatam transactionem inflexuri essent, ex altera vero parte declarabant, quod ex Parisiensis Senatus mandato cuncta Suecorum postulata promovere tenerentur, secus de omni pacis conficiendæ medio actum esset. Postulabant autem instigantibus Gallis Sueci, ut sibi ex solis Austriacæ Domus Provinciis satisfaceret, proin ipsis integra Pomerania, Vismaria, Bremensis, Caminensis, Halberstaden- sis, Verden- sis, Osnabrugensis, & Minden- sis Episcopatus cederentur, in Brandeburgicum vero Electorem Glogavia, Saganum, & Jägerndorffium, in Hassos denique Paderborna, & Fulda transferatur: Præterea promulgata universali amnestia, cuncta ad statum anni supra millesimum sexcentesium decimi octavi reponerentur, Palatinis Electoratus & possessiones pristinae, necnon Wirtembergico, Durlacensi & Nassovio Ducibus sua redderentur; Augusta, Do-

Z 3

nawer-

Sæc. XVII. nawertha, Egra, Bohemia & Austria
A. C. 1646. Imperio, falvis cujuscunque privilegiis,
 abductisque præfidiis restitueretur, &
 captivi utrinque liberi dimitterentur.
 Enormia hæc Suecorum postulata clam
 fulciebant Galli, simul tamen Cæsareos
 incitabant, ne tam amplam Suecis sa-
 tisfactionem præstarent, sed etiam in-
 terueniente Gallorum patrocínio re-
 fringerent, & multo parcius transige-
 rent: abunde etiam Suecis satisfactum
 dicebant, si Cæsar eis Pomeraniam in-
 feriolem, Bremensem & Verdensẽ
 Episcopatum, salvo statu Ecclesiastico,
 & portus Wismariensis dominium in-
 ter ipsos & Megapolitanum Ducem par-
 tiendum cederet: Quantumvis Cæsa-
 rei sæpius astum experti, suauem hunc
 Gallorum cantum sibi suspectum habe-
 rent, nec etiam eos lateret, quod Sue-
 ciæ Regina per Gabrielem Gardium
 Parisiis Franciæ Regem, ut Cæsarem
 armorum vi ad acceptandas pacis leges,
 & firmandas Protestantium in Germa-
 nia partes cogeret, sollicitasset, nihilo-
 minus pacis desiderio impulsæ per Ve-
 netum Oratorem mox dictos articulos
 Suecis proposuere. Hi autem integram
 Pomeraniam, & Wismariam cedi &
 ambos Episcopatus in Sæculares con-
 uerti, militibus Suecis stipendia solui,
 & Religionis gravamina prius tolli po-
 stulabant.

stulabant. Reclamarunt vero Oratores Sæc. XVII.
A.C. 1646.
 Brandenburgici, additis etiam minis declarantes, se nunquam passuros, ut Pomerania tota Electori suo eriperetur, proin se in compensationem damni Glogaviam, Saganum, Magdeburgensem, Halberstadensem, Mindensem, Osnabruganum, & Monasteriensem Episcopatus petere. Demum circa hæc postulata crebræ habebantur consultationes, decisione ad Suecorum Reginam, & Electorem Brandenburgicum remissa: Fabius vero Papæ Nuntius contra Episcopatum cessionem, & Suecicæ ac Hassiæ satisfactionis articulos, quantum in Protestantium favorem cederent, haud minus quinquies, incassum licet, reclamabat; cumque hisce tractatibus postremam manum Osnabrugæ admo-
 veri intelligeret, ne Catholicæ Religionis detrimentum accederet, Deputatos eo ablegare decreverat: quoniam vero nonnulli hac ratione pacis cursum sisti timerent, duntaxat illis, quos Venetus Orator eo destinaverat, negotium dedit, ut suo nomine Religioni prospicerent.

§. C.

Gallo-Suecorum res in Imperio.

Cum interea Galli Suecique incredibili postulandi audacia Cæsareos Hist. du
Vicecomt.
Mo-de France.

Z 4

Sæc. XVII. Monasterii fatigabant, variis artibus
 A. C. 1646. armatas quoque minas addere non ces-
 sabant, ut quod causæ justitia non
 possent, id saltem per obfirmatam vio-
 lentiam perfringere valerent; postquam
 enim Turrenium Franciæ Marescallum
 cum exercitu suo in Hassiæ finibus castra
 locasse compererant, palam minitaban-
 tur, se effecturos, ut Turrenius copias
 suas Suecicis jungeret, nisi Cæsarei in
 Gallo - Suecorum postulata protinus
 consentirent. Nec in minis hæsit eo-
 rum pervicacia; quamprimum enim
 Gustavus Carolus Urangelius, qui Tor-
 stensonio in Suecici exercitus Imperio
 successerat, educto e Bohemia exercitu
 Visurgim versus contenderat, mox Tur-
 renius promotis castris Moguntiam mo-
 vit, Suecorum adventum præstolatu-
 rus; interim Urangelius rapido felici-
 tatis cursu Hæxteram, Paderbornam,
 Lemgoviam & Statbergam suis armis
 subjecit, seque Gallicis copiis adjunxit:
 unde Leopoldus Archidux cum Cæsareo-
 Bavaro exercitu in Hassiam & Wetera-
 viam progredi compulsus, castra apud
 Ilmenstadium posuit. Turrenius vero
 & Urangelius trajecto Mæno Selingsta-
 dium & Schafnaburgum Moguntino
 Electori eripuerunt, ac continuata victo-
 riarum felicitate pestem, terroremque
 late diffuderunt: Hæserat Leopoldus
 in

in suis castris oppido munitis, hostilem Sæc. XVII.
 aggressionem avide præstolatus: verum A. C. 1646.
 Gallo- Sueci simulata nova in agrum
 Moguntinum irruptione Cæsareorum
 castra feliciter transgressi, subito in
 Franconiam ac Sueviam diverterunt,
 occupatisque transeundo cunctis urbi-
 bus totæ Regioni pecuniarum tributa,
 abstractis secum obsidibus imposuerunt:
 Nihil autem Gallo- Suecis desideratius
 erat, quam Bavariam invadere, atque
 Maximilianum Electorem, quem po-
 tentiorem Cæsaris amicum, & Catho-
 licorum vindicem respiciebant, ad ex-
 tremas redigere angustias. Eo consi-
 lio Danubium versus movent, & pri-
 mo Schorndorffium, Dinckelspilam,
 dein Nordlingam, & Donawertham,
 atque alia ad Danubium loca occupant:
 Resistendo impar erat Elector Bavarus,
 quapropter pretiosa quævis Monachio
 Burghusium transferri iussit, ipse vero
 everfis Dillingæ, & Höchstadli ponti-
 bus Brunoviam secessit: cum vero
 Lauingæ pons nondum esset dejectus,
 Sueci trajecto Danubio Rainam urbem
 octo dierum spatio expugnarunt, totam-
 que circum Regionem militum licen-
 tiæ ac deprædationibus exposuere.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

§. CI.

*Augusta Vindelicorum a Gallo-Sue-
cis incassum obsessa.*

*Kham.
part. I.
Cathedr.
Hier. Sten-
gel. comm.
rer. August.*

Tot victoriis tumidi Gallo-Sueci Augustam Vindelicorum cum tribus validissimis exercitibus, Gallico & duobus Suecicis ductoribus Turrenio, Urangelio, & Königsmarchio cingere moliantur, a Lutheranis ad hanc obsidionem incitati. Erat eo tempore Urbs necessariis destituta præfidiis; opportune tamen per medias hostium copias Franciscus Royerius cum tribus quatuorve Bavarorum centuriis die vigesima quinta Septembris in civitatem penetraverat, qui delectu habito nonnisi mille quadringentos equites, sexcentos præfidiarios, & totidem cives Catholicos unacum quinquaginta studiosis propugnandæ Urbis idoneis recensere poterat. Die vigesima sexta ejusdem Mensis Sueci mane ex suggestibus Lechufii exstructis Urbem diversis partibus quater inceptere, verum inde recedere compulsi die sequenti quasdam legiones Haustettani & Oberhusii locarunt, obstructisque aquæductus ostiis non exiguam farinæ panisque inopiam in urbem inducere: Tum vero totius belli instrumentis & apparatu ad pontem Wertachen

tachensem & portam Klenggerianam Sæc. XVII.
A. C. 1646.
 per quatuordecim dies actum est, ac ne punctum quidem temporis oppugnatio respiravit: injiciuntur in urbem filices prægrandes e mortariis, & pene innumeri majoris minorisque molis globi e belli tormentis: irrumpunt sæpius hostes, semper tamen accepta luculenta clade retrocedere coacti: incendunt iterum iterumque Lechusium, necnon arcem & urbem Fridbergam cum octo vicinis pagis, aliisque quamplurimis locis: impigre tamen Magistratus civesque Catholici propugnandæ urbi insudant. Lutherani contra, dira quævis, si res male cederet, Catholicis minitabantur, ac matronæ, Virgines, puerique Lutherani flexis genibus Duumviros, Bellique Præfectos rogabant, ut urbem Suecis traderent. Dies erat undecima Octobris, qua quidam centurio ab hoste captus elusis vigiliis in urbem transfugit, nuntians, quod Gallo-Sueci comperto Leopoldi Archiducis adventu, omnia belli tormenta præter quinque revexissent: Constitit huic relationi fides quoque, veritasque; quamvis enim hostes eadem die aggeres & valla ad portam Wertachensem valida impressione aggressi essent, suumque exercitum in tria agmina, generalem impressionem simulantes partirentur,

Sæc. XVII
A. C. 1646

rentur, nihilominus sequenti die magna per tenebras festinatione & trepidatione primo sua castra deseruere, ac tandem die decima tertia Octobris obsidionem solverunt, iterata obsessorum eruptione acriter lacessiti. Tantum hosti terrorem incusserat fama de adventu Leopoldi; hic enim, ut Ingolstadtum & Ratisbonam ab hostili incursum tegeret, Joannem de Werth cum quatuor Equitum millibus eo præmiserat, ipse vero flexo paululum itinere prope Ratisbonam trajecto Danubio Fridbergam cum triginta Equitum peditumque millibus contendit, copiisque in aciem dispositis prope Lechusium hostile vallum duobus belli tormentis instructum occupavit, ac centum Suecis ad pontem Lyci superiorem trucidatis, juncto demum duobus pontibus lyco cum valido Equitum Cæsareorum agmine hoc flumen trajecit, atque ad ejus ripam collocatis aliquot tormentis hostem Oberhusio expulit, urbemque die decima quarta Octobris victor ingressus est: Sueci autem in Sueviam recesserunt, quos tamen Archidux strenue insecutus est, ac demum per Mindelheimium ad Riedam prope Memmingam concessit, hostem annona & pabulatione prohibiturus: Verum Sueci festinato ad Lycum itinere Landspergam, ubi

*Adam. re-
lat. Hist.
c. 20. §. 2.*

ubi magna erat annonæ copia, expu- Sæc. XVII.
gnarunt, ac miserandum in modum di- A. C. 1646.
ripuerunt, quam tamen urbem æque
ac Schongavium capto Weilhemio pau-
lopost deferuere. Mindelheimium vero
& Donawertham recuperarunt. Ita
demum speciali Dei providentia, ho-
stibus ab Augustana urbe depulsis dis-
sipata fuere Gallo-Suecorum & Prote-
stantium consilia, quibus constitutum
erat, Augustam in belli arcem erigere,
indeque totam ejus molem in reliquam
Sueviam, Bavariam, Austriam, & di-
tiones Cæsaris hæreditarias convertere,
pactis dein induciis, copias suas per
istas Provincias distribuere, & rebus
Cæsaris & Bavari ad incitas redactis,
quas vellent leges utrique præscribere.

§. CII.

*Cæsareorum victoriæ contra Suecos,
Hassosque.*

Hoc item anno Melander, qui quon- *Barre Hist.*
dam Hassici agminis Dux Cæsaris *d' Allemagn.*
signa sequebatur, ex Veteravia in a- *t. 9. p. 806.*
grum Coloniensem digressus, Zonsam
oppidum ab Hassis cinctum obsidione
liberavit, inde vero latius penetrans,
Euskirchium ejectis Hassicis copiis Co-
loniensi Electori restituit, emissoque
Balduino Remontio Widenburgæ Præ-
fecto

Sæc. XVII feſto Paderbornam occupavit, præſi-
A. C. 1646. diariis omnibus aut cæſis aut captis,
 Paulopoſt Buchemius Comes, qui con-
 firmata cum Ragotſio pace ex Hunga-
 ria reverſus, ſe Leopoldi Archiducis &
 Maximiliani Bavari copiis junxerat,
 Crembſium, Cornenburgum, aliaque
 Auſtriæ loca, quæ Torſtenſonius anno
 priori ceperat, non ſine magno Sueco-
 rum damno recuperavit. Pariter Co-
 mes Montecuculus Feurſteinium arcem,
 necnon Franckenſteinium in Sileſia, præ-
 ter Rabenſpurgum, Lehenhuſiam &
 Statzium urbes in Cæſaris obſequium
 reduxit, alias vero arces obſidione
 clauſit, Wittenbergio autem Sueco
 cum validis copiis advolante in Bohe-
 miam ſe recepit; ubi tamen Cæſarei
 improſpero Marte pugnabant; Wirten-
 bergius enim numero longe ſuperior
 Bockelhaimio capto, cæſisque cen-
 tum quinquaginta peditibus ceteros in
 fugam egit, ac per Bohemiam impune
 vagatus, totam regionem deprædationi-
 bus, imperatoque ingenti ære deva-
 ſtavit. Magis ſecunda erant Cæſareis
 Moravicæ expeditionis initia, præter-
 quam enim quod Suecica præſidia ab
 infeſtis excuſſionibus cohiberent, inſu-
 per Statam, & Nicolaoburgum recupe-
 rata ingenti præda expugnarunt, ar-
 cemque Leibnizenſem receperunt: Pa-
 rum

rum tamen abfuit, quin Bruna Urbs ^{Sæc. XVII.}
 nuper invicta astu interciperetur; mille ^{A. C. 1646.}
 enim Sueci, se Cæsareos mentiti, septendecim jamjam intra munitionem
 admissis proxime urbi imminebant, dolo
 autem tempestive deprehenso ceteri a
 Brunensibus non sine clade repulsi sunt,
 postea vero Wittenbergicus quampluri-
 mos Moraviæ Pagos incendit, & Ot-
 tomachaviam diripuit, necnon arce &
 Palatio Nissenfis Episcopi potitus, in-
 gentem annonæ copiam Leobschuzio
 intulit, Tropavia tamen, quam obse-
 derat, a Cæsarianis repulsus.

§. CIII.

Gallorum expeditiones bellicæ contra Hispanos.

Nil ardentius desiderabant Galli, quam
 ut Cæsar Hispaniæ Regi nullas ad-
 versus Gallos, Batavosque auxilia fer-
 ret, pacemque sine Hispanorum assensu
 Monasterii concluderet: cum vero de
 consilii sui successu desperarent, tota
 belli mole Hispanos tam in Italia, quam
 Catalonia & Flandria opprimere nite-
 bantur: Præprimis ergo ductore Tho-
 ma Sabauda apud mare Thyrrenum
 Telamonem, & S. Stephani portum
 occupant, atque exscensione facta Or-
 bitellum cum valido agmine obsident,
 incas-

Sæc. XVII. A. C. 1646. incassum tamen; quamvis enim Thomas per plures Menses hanc urbem omni ex parte oppugnasset, nunquam tamen Caroli Cattæ Hispani Gubernatoris invictam in resistendo fortitudinem frangere poterat, demum vero in urbis subsidium advolante classe Neapolitana, necnon per assiduas obsessorum eruptiones & certamina imminuto plurimum milite Gallo obsidionem solvere ac Pedemontium reverti compulsus est, non alio Italicæ hujus expeditionis emolumento, nisi quod Meleraius Franciæ Marescallus Portum-Longonem occupasset. Nec magis secundus erat Harcurtii Pro-Regis fortuna in Catalonia: hic enim Ilerdam validissimam ad Sicorim urbem per quinque ferme menses summis viribus, ingentique Gallorum sumptu ac damno obsederat, tandem vero a Marchione Leganesio pressus, relictis impedimentis, & plusquam sexaginta machinis bellicis, urbem & palmam Hispanis cedere, & cum laceri exercitus sui reliquiis Balaguerium aufugere cogeatur: Ceterum inclinatæ erant Hispanorum res in Flandria; cum enim Dux Aurelianensis, Anguienius & Gassionius Gallici Belliduces diversis exercitibus hanc Provinciam infestarent, & Aurelianensis Dux primo Cortracum, dein Winoxbergam,

bergam, & Mardiccum expugnasset, **Sæc. XVII.**
 distractis Hispanorum viribus Anguie- **A. C. 1646.**
 nius cum quadraginta Gallorum mil-
 libus Dunkuercham, utilissimum Hi-
 spano commercio Belgii totius empo-
 rium obsidere cæpit, cumque Batavi,
 ne laboranti urbi subsidia inferri pos-
 sent, classe sua portum undique cinxis-
 sent, honestis conditionibus Urbs ad
 deditionem coacta est. Sub idem tem-
 pus Venlonam Hollandi gravi obsidione
 tentarunt, quam tamen aut sinistri suc-
 cessus tædio, aut propinqua jam pace,
 quæ Monasterii interim cudebatur, ir-
 rito effectu solverunt.

§. CIV.

Venetorum bellum contra Turcas.

Frequens in Monasteriensi Conventu *Nani Hist.*
 facta est mentio de auxilio Venetis *Venet. t. 2.*
 præstando contra Turcas: verum hæc *l. 3. p. 69.*
 sollicitudo aut in vagis stetit promissis, *Brachel. hist.*
 aut nonnisi studiose quæsitum erat ma- *temp. l. 6.*
 turandæ satisfactionis incitamentum.
 Exponebat equidem summus Pontifex
 Hispaniæ Ministris, utriusque Siciliæ,
 totiusque amittendæ Italiæ periculum:
 ast hi funestas Gallorum invasiones
 obtendebant, pollicebantur tamen, se Ve-
 netis præter validam classem, milites
 conscribendi, ac frumenta ex utroque
Hist. Eccles. Tom. LXI. A a Re-

Sæc. XVII. Regno evehendi copiam facturos: Ula-
A.C. 1646. dislaus quoque Poloniæ Rex hostili
Tartarorum invasione Turcarum vires
 distrahere, paratus erat, a suis tamen
 in publicis Regni comitiis præpeditus.
 Spem etiam fecerant Galli subsidiariæ
 classis in Hollandia instruendæ: quini-
 mo Mazarinus Cardinalis interposita
 Galliarum Regis auctoritate Rempubli-
 cam inter & Turcas pristinam pacem
 revocandi studium simulabat, ablegato
 hanc in rem Varennio Nobili: Attamen
 Ibraimus Ottomanix Imperator ob nu-
 peram suorum cladem in rabiem actus,
 nonnisi ultronea Cretensis Regni dedi-
 tione, omniumque expensarum com-
 pensatione pacem redimi posse, arro-
 gantius respondit, ac Selitare suffocari
 iussu, & Vezirio sua dignitate exuto
 Salichum Quæstorem, & Mussam sub-
 rogavit, Joannem vero Soranzium Rei-
 publicæ Oratorem mox capite plecti,
 postea tamen ceterorum Legatorum
 deprecatione expugnatus, illum arctius
 custodiri iussit. Igitur Veneti nullam
 honestæ pacis spem reliquam fore co-
 gnoverunt, nec etiam in exterorum sub-
 sidiis fiduciam reponere valuere, Prin-
 cipum nonnullis utpote ab eo remotis
 communem Christianæ Reipublicæ ho-
 stem spernentibus, aliis vero utpote
 sat vicinis eundem nimis pertimescen-
 tibus,

tibus, hinc Veneti proprias vires pro Sæc. XVII.
defendenda patria intendere cogeban- A. C. 1646.
tur, utque sibi exercituum Regem
Deum propitium redderent, nun-
cupato voto Aram S. Laurentio Justi-
niano dicarunt, atque in B. Virginis
honorem Templum unacum PP. Capu-
cinorum Monasterio erexerunt.

Collectis igitur navibus, quotquot pote-
rat, Joannes Ludovicus Valeta Venetæ
classis Archithalassus excensione facta
Cladissum versus cum bis mille quingen-
tis peditibus, & Equitibus trecentis
movit, & Turcarum molendina com-
bussit, promotisque castris hostem a
tribus propugnaculis, quæ occupave-
rat, dejecit, ac reportatis totidem ve-
xillis multos trucidavit: sub idem vero
tempus Turcæ ex Cydonia erumpentes,
toto impetu in Valetæ pedites irruunt,
eosque in fugam agunt. Non Bellidu-
cis imperia, non preces nec minæ spar-
sos incompósitosque, ut rursus in præ-
lium redirent, pertrahere poterant, un-
de qua cuique patebat ad fugam via
erumpentes. Instabant fugientium ter-
gis Barbari, & captis quinquaginta cen-
tum sexaginta duos trucidarunt, in
victoriæ trophæum duo belli tormenta,
omnemque apparatus reducentes. De-
libatis hisce victoriæ auspiciis crebræ
habebantur velitationes plerumque Ve-
netis

Sæc. XVII. A. C. 1646. netis infaustæ: ut vero Turcæ Venetorum vires distraherent, e Bosnia in vicinam Dalmatiam erumpentes magnam hominum, armentorumque multitudinem abegerunt, ac demum ipse Bosniæ Bassa Novigradum munitissimum Dalmatiæ oppidum a Zara quinque ferme leucis dissitum interceptit, seu ignavia seu perfidia Martini Ostrichii Tribuni, qui etiam festinatæ deditionis pœnas capite luit: Turcæ autem hac urbe potiti, præliarios milites captos abstraxere, & Francisco Loredano vitæ gratiam facientes, Joannem Fabritium Soardium Urbis Gubernatorem trucidarunt. Verum brevi Turcis vices rependebant Zarenfes, & Jadrenses præfidiarii; hi enim locorum gnari junctis sibi rusticis, sæpius e latebris & viarum abditis incautos Turcas adorti, recuperata præda multos trucidarunt, & nobiliores ob Lytri spem in servitutum secum abstraxere: Magis adhuc prospera erat maritima Venetorum expeditio: Thomas enim Morosinus Venetæ classis in Ægeo Præfectus Mense Martio, cum fretum Hellespontiacum cum viginti quatuor navigiis superasset, terrorem usque ad Constantinopolitanæ urbis portas circumtulit; quippe fuis centum onerariis Turcicis multo comatu onustis iterum Mense Junio classem

sem Turcicam invasit, eandemque duo-
 bus præliis profligavit, Turcasque ex
 toto Archipelago eiecit, cæso supremo
 hujus classis Præfecto, & reliquis aut
 in fugam aut in servitutem datis: insu-
 per ab omnibus Ægæi maris Insulis tri-
 butum exegit, absdubio universam In-
 sulam ab infesto hoste purgaturus, nisi
 promissi auxilii cunctatio, exortaque
 inter Venetos Belliduces dissidia vin-
 cendi opportunitatem elusissent, & Tur-
 cis vires suas augendi spatium indul-
 sissent: interea enim Turcæ reparatis
 nauticis viribus cum validiore classe ad
 Centam Insulam Mense Octobri reversi,
 Cydoniam a Venetis arte cinctam,
 obsidione liberarunt, & com meatu abun-
 danti instruxere: mox Rethymnam ur-
 bem, Venetis iterata clade prostratis,
 ad deditionem compulerunt, non sine
 ingenti Reipublicæ damno; capta enim
 ibidem erant plusquam centum belli
 tormenta, cum ingenti com meatuum
 copia, omnique armorum apparatu.

§. CV.

*Principum ac Illustrium Personarum
obitus.*

Fuit currens hic annus Magnorum
 morte funestus; præprimis enim
 Viennæ Mense Majo Maria Ferdinandi III.
 Aa 3 Impe-

Brachel. l. c.
 Briet. An-
 nal. Mundi
 tom. 7.

Sæc. XVII. Imperatoris Coniux, & Philippi IV.
 A. C. 1646. Hispaniæ Regis Soror, cum ex venatione cum Cæsare reversa esset, ex repentina epiphora extinguitur. Erat partui vicina, proinproles ex defunctæ Matris utero exempta Mariæ nomen adepta est, quæ tamen sacris aquis eluta statim vivere desiit, unacum Matre solemni pompa in tumulum illata. Philippus quoque IV. Hispaniarum Rex unicum suum amisit Filium sibi cognominem, annorum ferme sexdecim adolescentem, qui in spem tot Regnorum genitus, atque haud multo ante Cæsaris Filiæ in Maritum destinatus, Sagunti pustulis correptus, intra quadriduum Mense Octobri maximo Hispanorum luctu decessit. Moritur quoque sub finem hujus anni Henricus Borbonius Princeps Condæus, qui natus & educatus in hæresi vixit, nunquam tamen gloriosior exstitit, quam dum Catholicus obiit, ingenti suæ familiæ damno, majori tamen Regni jactura: quamdiu enim vixit, semper civili bello remoram posuit, & si diutius vixisset, nec vidisset ille filios suos in custodiam datos, neque Gallos in patriam armatos timuisset. Pari fato sublatus est Stanislaus Conjecpolskius supremus Polonici exercitus Dux multis victoriis contra Turcas, Suecos & Cosaccos re-
 porta-

portatis clarus, qui pro Religione, pa-
 tria & Rege suo libertatem, sangui-
 nem, opesque suas non semel profun-
 debat: Erat quoque Religiosorum suæ
 vocationis memorum cultor eximius,
 immemorum vero hostis implacabilis,
 cujus rei fatale habuit experimentum
 quidam Cracoviensis Jesuita, qui, cum
 coram Conjecpolskio circa annum Do-
 mini millesimum sexcentiesimum trige-
 simum concionaretur, hanc ab eo lau-
 dem tulerat: *Egregius hic foret Præsul,*
si Religioni non esset obstrictus. Obtinen-
 dæ Prælaturæ fiducia deceptus hic Je-
 suita, prætexta Parentum suorum in-
 opia, quamvis Cracoviense Collegium
 in eorum sustentationem sexcentos flo-
 renos obtulisset, Societatem deseruit,
 & recta Barum profectus, ad Conjec-
 polskium contendit, a quo tamen non
 admissus, hoc duntaxat responsum tan-
 to Duce dignum tulit: *hunc Patrem*
ut Jesuitam novi, & illum amavi, alterum
vero non nosco: quo responso Jesuita per-
 cussus, dimisso a se famulo cultrum ar-
 ripuit, decemque ictibus pectori suo in-
 flictis animam evomuit.]

Sæc. XVII.
 A. C. 1646.

Locut. Dei
 P. Daniel
 Pawlowski
 pag. 29.

§. CVI.

*Primogenitus Tunitani Regis Filius ad
 summi Pontificis pedes provolutus.*

A a 5

Inter

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

Inter tot tumultuum procellas, quibus Ecclesia Romana iniquissimo hoc tempore jactabatur, haud parum Innocentii summi Pontificis animum erexerat Hamatheus Tunetanus Princeps. Hic primogenitus ipsius Regis Filius, Regnique hæres jam ante aliquot annos frequens cum Christianis Catholicis colloquium habere solitus, sensim vehementi capeffendæ Religionis desiderio incitabatur: unde clam fuga ex Tuneto in Siciliam se proripuit, ac Catholicæ fidei præceptis imbui, necnon sacro fonte ablui petiit, demum vero hoc anno Romam profectus, sese Innocentio X. Pontifici Maximo stitit, eumque more Christianorum Principum osculo pedum veneratus est, a quo etiam liberaliter habitus, per aliquot annos sese Romæ detinuit.

§. CVII.

Secreta Caroli I. Angliæ Regis conventio cum Hiberniæ Catholicis.

Rapin Thoiras Hist. d'Angl. l. 21. **P**ostquam Carolus I. Angliæ Rex a rebellibus Anglis Scotisque ad tantas redactus erat angustias, ut Oxonium profugus, omnique ope destitutus, cum inimico Parlamento ad ejus arbitrium pacem inire cogeretur, eo fine Londinum proficisci statuit, atque pro

pro hoc itinere publicam securitatis Sæc. XVII.
 cautionem sibi concedi, datis sæpius A. C. 1646.
 ad Parlamentum literis, decretisque
 Oratoribus enixe rogavit: nullatenus
 tamen rebellium pertinaciam frangere
 poterat, etsi pollicitus esset, quod si
 eidem has literas concedere, eumque
 in Parlamento recipere vellent, con-
 fecta pace Parlamento bellum in Hi-
 berna prosequendi, per integrum se-
 ptennium militiam regendi, & classis
 Præfectos nominandi facultatem utri-
 que Curia concedere, & Anglis, Sco-
 tisque plenam delictorum veniam, ac
 denique cunctis Protestantibus immu-
 tatam Religionis suæ libertatem indul-
 gere paratus sit; nec tamen amplis
 hisce promissis Rex de itineris securi-
 tate sibi a subditis suis caveri, impe-
 trare poterat: cum vero Parlamentum
 Regi identidem objiceret, quod Hi-
 bernos Religione Catholicos ad arma
 capeffenda, atque ad Angliam valido
 agmine invadendam incitasset, hinc
 Parlamento, cum illud suppetias con-
 tra eosdem ferre semper cunctaretur,
 proposuit, se Ormondum Marchionem
 eo decreturum, ut non modo inducias,
 sed & pacem conciliaret, atque Hi-
 bernos ad moderanda postulata indu-
 ceret: Verum hæc quoque Regis in-
 dulgentia seditiosis erat suspecta: cum
 Aa 5 vero

Sæc. XVII vero haud ignoraret, quod Hiberni suo
A. C. 1646. Regi semper fideles unice ad confer-
 vandam conscientiarum libertatem,
 quam ipsimet Angli nulla humana po-
 testate constringi posse, propugnabant,
 bellum inchoassent, hinc Glamorga-
 num Comitem in Hiberniam die duo-
 decima Martii ablegabat, data eidem
 facultate, ut cum hujus Regni Catho-
 licis pacisceretur, eisque cuncta, quæ
 rerum necessitas suaderet, indulgeret:
 Postquam igitur Comes advenerat, in-
 sequentes pacis conditiones cum Epi-
 scopis Catholicis die vigesima quinta
 ejusdem Mensis clam convenerat.

I. Omnes Catholici in Hibernia li-
 bero gaudeant Religionis suæ exercitio.
 II. Sint exempti a jurisdictione Sacra
 Protestantium. III. In possessione relin-
 quantur omnium Ecclesiarum, quas
 vel Protestantes actu non possident, vel
 Catholici a die vigesima prima Octobris
 anno hujus sæculi quadragesimo primo
 possederunt. IV. Ormondus Comes in
 horum articulorum usu Catholicos non
 perturbet, & Glamorganus Comes ad
 hos articulos in proximo Hiberniæ Par-
 lamento confirmandos & exequendos
 Regis fidem obstringat. V. Vicissim
 Hiberni sub publica Regni fide polli-
 ceantur, quod decem armatorum mil-
 lia ductore Glamorgano ad Regis obse-
 quium

quum in Angliam aut Scotiam submittere, Clerusque duas tertias suorum proventuum ad alendos hosce milites per triennium subministrare velit.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

§. CVIII.

*Legatus a Franciæ Rege in Angliam
decretus pro pace inter Carolum
Regem & Parlamentum
concilianda.*

Postquam vero Ormondus Marchio & *Rushw.*

Digbyus, qui tum in Hibernia a- *t. 6. p. 104.*
gebant, hanc conventionem, interce- *Et 239.*
ptis quibusdam literis detectam fuisse, *Salmon hist.*
compererant, Glamorganum Comitem, *d' Angl. t. 1. p. 249.*

perinde ac si Regis mandatum excessisset, custodiæ dari iusserunt: Parlamentum quoque die vigesima tertia Januarii omnes, qui cum Rege seorsim convenere, in vincula conjecit, Scotiæ dein copiæ Rattmutum urbem iterata impressione expugnarunt, eam flamma ferroque devastantes: paucis post diebus regiones etiam Viacomia & Belvoirense arce expulerunt; demum vero Thomas Fairfaxius prope Tarringthorpe Regios tanta clade affecerat, ut Hoptonus eorum Ductor cum rebellibus transigere, copiasque suas sacramento solvere cogeretur: continuata quoque

Sæc. XVII. quoque fortunæ invidia ultimum Regis
A. C. 1646. agmen, quod in acie erat, a seditiosis
 ad internecionem deletum, cunctis-
 que urbibus vel ultronea deditione vel
 armorum violentia a Parlamento occu-
 patis necnon Nevarca a Scotis obfessa,
 sola Oxoniensis Urbs adhuc regio præ-
 sidio tenebatur, atque in Regis pote-
 state obsequioque persistebat, quam ta-
 men urbem Fairfaxius jamjam obsidere
 parabat. Ad tantas igitur angustias
 redactus Rex, Westmonasterium Le-
 gatos ad utriusque Curix Senatores
 decreverat, qui suo nomine pollicerentur,
 quod ipsemet depositis armis Lon-
 dinum ad Regni sui gremium, cum
 solo comitatu Aulico ad universalis
 concordix tractationem venire, cum
 universo Parlamento pacem colere,
 suasque copias dimittere vellet, dum-
 modo Regix personæ & dignitatis se-
 curitati caverent, & fideles sui subditi
 pristinis honoribus, bonis, & libertati
 redderentur: Præseferebant quidem re-
 belles, gratum sibi fore adventum Re-
 gis, ornarique jusserunt Palatium ejus
 ad S. Jacobum, nihilominus ejus se-
 curitati adeo non cavebant, ut etiam
 decreta promulgarent, quatenus tota
 Urbs in armis esset, & in omnibus lo-
 cis, qua Rex transiturus esset, milites
 disponderentur, omnesque Regis comites,
 si sine

fi sine salvi commeatus literis venirent, Sæc. XVII.
A. C. 1646.
 caperentur, nullusque sine Parlamenti
 consensu Regem alloqui posset: de ce-
 tero omnes Regis propositiones quan-
 tumvis proficuas respuebant rebelles,
 in Regis sui excidium conjurantes. Sub
 idem tempus Franciæ Rex Montral-
 lium in Angliam ablegabat, qui pacem
 inter Regem & Parlamentum aut Sco-
 tos conciliare satageret. Inter ceteras,
 easque iniquas pacis condiciones præ-
 cipue seditiosi urgebant, ut Rex Epi-
 scopatum aboleret, & fideles suos sub-
 ditos severe puniendos, Parlamento
 consignaret, necnon Presbyterianum
 regimen in Ecclesia Anglicana stabili-
 ret: Hæc vero a Rege obtinere non
 poterant, quamvis Regina misso ad eun-
 dem Davenantio, rogasset, ut Presby-
 terianorum partes, tanquam unicum
 extremam calamitatem effugiendi me-
 dium amplecti vellet. Cognito Regis
 proposito Montrallius primo cum Sco-
 tiæ Deputatis Londini agentibus, post-
 ea cum Scotis Belliducibus Nevarcam
 obsidentibus in castris agebat, eos ad
 pacem inclinare intentus. Hi primum
 ad reconciliationem animum simulan-
 tes, nil nisi Episcopalis Regiminis abo-
 litionem petebant, ac per Montrallium
 impense Regem, ut ad eorum castra
 utpote tutum securitatis asylum confu-
 geret,

Sæc. XVII. geret, sollicitabant, spe facta, se nul-
 A. C. 1646. lam ei violentiam illaturos, salvisque
 omnibus Regiæ suæ auctoritaris præ-
 rogativis, deinceps regiam voluntatem
 tanquam supremam & absolutam ve-
 neraturos: Dubius hærebat Rex, ini-
 mici hucusque adeo truculenti pollici-
 tationes semper suspectæ fidei esse haud
 ignarus, an molestiæ plus inter An-
 glos, quam periculi inter Scotos subi-
 ret, in incerto habebat: postquam vero
 Fairfaxius cum toto rebellis exercitus
 robore Oxonium moverat, proin Rex,
 ne in hac urbe obsideretur, præsentaneum
 incurreret periculum, ad Scotorum
 castra clam aufugere statuit, potissimum
 inductus literis Montrallii, qui
 nomine Franciæ Regis ac Reginæ Carolo
 pollicebatur, „quod si ad Scotos
 „transiturus esset, ab eis summo honore,
 „securitate&c, exciperetur, Scotique
 „sua arma ad vindicanda Regiæ Majestatis
 „jura impensuri essent&c.,” His
 promissis expugnatus, aut verius, delusus
 Rex, die undecima Maij noctu clam
 Oxonio excessit, ac nonnisi Ashburnhamo
 & Hudfone Prædicante stipatus,
 nunc Hudsonis Moderatorem, nunc
 Medicum, ac sæpe famulum simulans,
 tandem per devia & invia Dubhamum
 Norfolciensis Comitatus pagum pervenit,
 ubi in vili caupona per-

pernoctans, tandem ad Scotorum exercitum, qui tum Nevarcam obsedit, die vigesima prima ejusdem Mensis pervenit: Paulopost Oxonium Parlamentariis deditum, & Jacobus secundo genitus Regis Filius Dux Eboraceus inde Londinum quasi in triumphum abductus est, quem etiam Fairfaxius velut re magnifice & præclare gesta toto triduo solemniter apparatu egit.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

§. CIX.

Carolus Rex a Parlamento, Scotisque indigne habitus.

Quamprimum Rex dolosis Scotorum promissis deceptus, Nevarcam venerat, mox exercitus Dux eidem proposuit, ejus securitati haud satis confultum esse, nisi copiae ad Scotiæ fines procederent, id vero fieri non posse, nisi prius Nevarca & Bamburia dederentur. Annuit Rex Ducis petito, urbisque deditionem Gubernatori præcepit, qua facta unacum exercitu Neocastrum contendit, ubi decreto ad Parlamentum Legato rursus eidem ampliores pacis condiciones obtulit, ac Londinum, ut ibidem cum ipsis oretenus agere posset, pergendi facultatem petiit: Ast non modo repulsam tulit, sed Scoti etiam Belliduces, cum de privatis

*Thomas hist.
d' Angl. l. 21.
Ruswort.
l. c. p. 321.
Whitl. p. 225.*

Sæc. XVII tis pactis cum Rege initis se Londini
A. C. 1646. infimulari intelligerent, se ab Anglo-
 rum societate nullatenus recessuros, pa-
 lam declararunt, simulque Regem ur-
 gebant, ut ipse quoque huic conven-
 tioni subscriberet, & Protestantium Re-
 ligionem in Anglia stabiliret, necnon
 Parlamenti consilia sequeretur: Præ-
 terea paucis post diebus utriusque Cu-
 riæ Senatores Regi easdem pacis con-
 ditiones, quas jam Uxbridæ cude-
 rant, proposuere: cum vero hæ pro-
 positiones Regem omni auctoritate e-
 xuerent, hinc Deputatis respondit, „se
 „nunquam assensurum ejusmodi condi-
 „tionibus, quibus potestas sibi per Re-
 „gni leges & generis prærogativam
 „competens everteretur, assensurum
 „vero omnibus postulatis, quæ justa &
 „æqua, & nulla privati sui commodi
 „habita ratione ad veram Regni utili-
 „tatem cederent., Percepta hac Re-
 gis repulsa Scoti cum Parlamento a-
 gendi copiam petierunt, ut mutuis
 consiliis deliberare possent, quid cum
 Rege pro utriusque Regni bono agen-
 dum esset. Tum vero tam Angli quam
 Scoti omni injuriarum genere Regem
 afficere certabant, & quidem eo Neo-
 castrum vix adventante, quidam Præco-
 natione Scotus coram illo petulantissi-
 mum habuit sermonem, quo finito quin-

quinquagesimum primum cantari iussit Sæc. XVII.
 Psalmum, qui incipit: *Quid gloriaris* A.C. 1646.
in malitia, qui potens es in iniquitate, tota
die injustitiam cogitavit lingua tua &c.
 Imperabat Rex indignationi suæ, rara-
 que moderatione usus, sede sua sur-
 rexit, præciens cantari Psalmum quin-
 quagesimum quintum ab illis verbis:
Miserere mei Deus, quoniam conculcavit
me homo, tota die impugnans tribulavit
me: conculcaverunt me inimici mei tota die,
quoniam multi bellantes adversum me &c.
 Alia die Alexander Hunderfsonius Præ-
 co Scotus summa importunitate Regem
 ad acceptandas Parlamenti propositio-
 nes urgebat, Rege autem conscientia, hono-
 risque sui jacturam obtendente,
 Hunderfsonius Episcopatum calamo va-
 lide impugnabat, Rex vero vicissim ca-
 lamo & ore hunc Prædicantem tam
 arcte pressit, ut ipse paulopost ex pudori
 vehementia Edini decederet, & mori-
 bundus amare deploraret mala, quæ
 in utroque Regno per errores suos caus-
 fasset. Denique ad infamiae & perfidi-
 æ cumulum accessit, quod Scoti de
 pretio, quo Regem suum Anglicano
 Parlamento inhumanitate nec inter Bar-
 baros audita venderent, pacisci non
 erubuerint, uti postea memorabimus.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

§. CX.

Posoniensia comitia propter Religionum dissidia.

*Brachel. V. c.
Ortill. Chron.
nic. Hungar.
p. 152.
Han. Pan.
non. p. 361.*

Die quinta Mensis Augusti Ferdinandus IV. primogenitus Cæsaris Filius Pragæ a Cardinale Harrachio Pragensi Archiepiscopo, assistentibus illi sexdecim Episcopis ac Prælati, magnoque Clericorum & Procerum numero in Bohemiæ Regem consueto ritu unctus coronabatur: Peracta hac solemnitate cum præfato Rege Cæsar eodem adhuc Mense Posonium venit, ibidem Regni comitia celebraturus: Perorabat ipsemet Imperator, Hungarici Regni Primores ad subsidia pro defensione patriæ conferenda, necnon ad componendas religionum dissensiones hortatus. Præprimis vero Proceres Joannem Draskovichum Trakosthiani Comitem religione Catholicum in Regni Hungarici Palatinum unanimi suffragio, maximoque applausu elegerunt. Postea Lutherani æque ac Calvinistæ suas querelas ad proxima comitia remissas tolli, eisque erepta Tempia reddi, ac Jesuitas Regno expelli importunius urgebant, e contrario autem Catholici ejusmodi postulata Regni privilegiis adversari contendebant: Pro-

testiaq.

testantes nihilominus se ne latum un- Sæc. XVII.
 guem ab eis recessuros declarabant: A. C. 1646.
 inde vero tam acris orta est animorum
 contentio, ut Protestantes stricto ense
 Catholicos petere, & quemdam Sacer-
 dotem e fenestra projicere pararent:
 vix autem ceterorum moderatio hanc
 intemperiem sedaverat, cum illico cir-
 ca Ecclesiasticorum bona ac proventus
 gravior enasceretur altercatio, quæ ta-
 men primum tunc sopiri poterat, post-
 quam Imperator Protestantium petu-
 lantiæ cedens, eisdem indulserat, ut
 ex Strigoniensis præcipue Episcopi &
 Jesuitarum bonis partim possessis, par-
 tim recens vindicatis annue centies
 septuaginta florenorum millia præter
 trigesies mille vini urnas in Ragotsii
 satisfactionem, & muniendos Regni
 fines impenderentur, ac Jesuitæ ex su-
 periore Hungaria expellerentur, erepta-
 que quædam Templâ Protestantibus red-
 derentur: Reclamabant vehementer
 Palsius, Czackys Archiepiscopus, &
 Religiosi horum Templorum possesso-
 res: petebant una omnes, ut Ragot-
 siana pax metu extorta irritaretur: ve-
 rum Cæsar inclinatas Imperii res ob-
 tendens, a sententia dimoveri haud
 poterat: acrius tamen ferventibus in-
 ter partes dissidiis Imperator ad Prote-
 stantium libellum supplicem hæc re-
 spondit.

Bb 2

Sæc. XVII. spondit. I. Protestantibus liberum suæ
A. C. 1646 sectæ exercitium juxta Regiam conces-
 sionem, necnon Ecclesiæ ad ipsos spe-
 ctantes, eorumque bona reddantur, ex-
 ceptis locis, quæ Cæsaris sunt, & ubi
 Rex suam sedem habet. II. Vicissim
 Catholicis omnia Tempia, quæ nunc
 possident, nec fervente hoc belli tu-
 multu occuparunt, relinquuntur. III.
 Hujus pacti transgressores præter gra-
 vem pœnam damnum resarciant, &
 qui parere recusaverint, jure ad ejus-
 modi bona priventur. Accepto hoc
 responso Protestantes audacter centum
 octoginta Ecclesias a Catholicis sibi tradi
 petierunt, ast reclamantibus Catholi-
 cis Nadaštius Comes & Scalitzienſes
 in suis ditionibus Lutheranos & Calvi-
 nistas ejecerunt: inde autem tam pe-
 riculosi movebantur tumultus, ut Im-
 perator ineunte anno sequenti circa
 Protestantium Tempia sequentes pacis
 articulos promulgare cogeretur. I. Vi-
 ginti & unum Tempia trans Danubium
 Protestantibus Hungaris cedantur. II.
 In illis locis, ubi nullum habent Tem-
 plum, nec unquam habuerunt, unum,
 in propriis tamen eorum fundis erigere,
 eis liceat. III. Cuncti Hungariæ in-
 colæ Regias literas exacte exequi te-
 neantur. IV. Transgressores, vel vio-
 lenti Ecclesiarum possessores soluta mille
 flore-

florenorum multa usurpatam Ecclesiam reddere obstringantur, contumaces vero ipso præfatæ Ecclesiæ fundo priventur. Nihilominus Protestantes adjudicatis sibi viginti & uno Templis haud contenti, cunctas Ecclesias sibi ab anno hujus sæculi octavo ereptas reddi, subditos vero ad statum anni trigesimi septimi reduci, finitimas Hungariæ urbes ex Ecclesiasticorum & Monasteriorum redditibus fartas servari & Jesuitas bonis suis exui, a Cæsare postularunt: Annuere Proceres Catholici, ut Protestantibus nonaginta redderentur Ecclesiæ, hi vero pro hoc favore adeo non debitam referebant gratiam, ut etiam pro qualibet Ecclesia annuos sexcentos Thaleros nomine reddituum a Catholicis assignari postularent. Ad-dixerunt adhuc Catholici Protestantibus dimidiam hujus summæ partem; nondum tamen hi satisfactum credebant suo furori, donec etiam oppitulate Ragotsio Jesuitas bonis suis exui, regnoque expelli impetrassent; neutrum tamen a Cæsare extorquere poterant: quocirca Ragotsius per Croisium Franciæ Legatum apud Suecos Osnabrugæ questus, declarabat, se denuo ad arma in Cæsarem sumenda paratum esse, dummodo paci Westphaliæ includeretur, & pecunia, quæ sibi ex foedere

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

Bb 3

resta-

Sæc. XVII. restaret, a Sueciæ Regina solve-
A. C. 1646. retur.

§. CXI.

*Archiepiscopi Trevirensis severitas
 contra Ecclesiæ suæ Canonicos.*

*Massen. An-
 nal. Trevir.
 l. 25. §. 88.
 Adam. re-
 lat. Pac.
 Westph.
 cap. 16.*

Interim pristinæ dissensiones Treviris inter Philippum Christophorum Archiepiscopum, S. R. I. Electorem & Canonicos recruderant; cum enim idem suam libertatem potius Gallis, quam Cæsari in acceptis referendam censeret, horum potentia, & patrocínio fretus, transactionem cum Imperatore nuper initam flocci habebat; postquam vero Elector protectionem Spirensis Episcopatus, ad quem Philippiburgum spectabat, in Gallos transtulerat, & hi eo nomine in hoc propugnaculo perpetuum retinendi præsidii jus sibi asseri, importunius Osnabrugæ petierant, Elector inter sacrum, saxumque stetit, quod improvide indulserat, revocare veritus, & ultro concedere, ob Capituli sui repugnantiam vix ausus. Magis adhuc eum poenituit intempestivæ suæ indulgentiæ, dum Gallos foederis, atque officiorum, quæ in eos effuderat, parum memores experiebatur; hi enim, postquam illis ultro protectionem super Episcopatu suo obtulerat,

nequi-

nequidem illum responso dignati sunt, imo cum idem Elector cænobia & bona Ecclesiastica, quæ a Wirtenbergicis, & Badensibus, necnon in Palatinatu inferiore a Protestantibus usurpabantur, Gallorum ope se vindicaturum speraret, hi illum arroganti hoc responso dimisere: *non minus Protestantes, quam Trevirensis Elector fæderati sunt Coronæ Gallicæ, illorum ergo offensa impenso quoque conatu vitanda est. quod si tamen anno hujus sæculi decimo octavo bona quædam, aut jura Ecclesiastica fuerint Electoris, eorum haud dubie Galli patrocinium suscipient:*

Sæc. XVII.
A. C. 1646.

Hæc agendi ratio aculeum reliquit in animo Electoris, qui tamen a Gallis destitui veritus, iram premere cogebatur, quam nihilominus in Canonicos, & Ecclesiasticos immoderatus Treviris effuderat; postquam enim in urbem redierat, primas eo curas intendit, ut inimicos juxta amicosque per Archidiaecesin subditos injecto veluti fræno constringeret. Eo fine præcipue in Religiosorum fundis tria erexit propugnacula, impensas suppeditantibus Gallis. Postmodum in Husmanum Ecclesiæ Cathedralis Præpositum, & Metternichios ceterosque Canonicos, ni subito Treviros redirent, censuras, ac redituum jacturam interminabat, lite-

Bb 4

ras-

Sæc. XVII. rasque criminationum plenas promul-
A. C. 1646. gans, hisce Canonicis ruinam per anti-
 quæ Ecclesiæ & Diœcesis Trevericæ, cum
 jactura decem & amplius auri millionum
 Fidei-commissi, & hospitalis Philippici, a
 se & proavis pro ejusdem familiæ gentisque
 hominibus constituti, aurique talenta æsti-
 mati expilationem, Regis Galliarum ærarii
 in domo Gubernatoris quinquaginta coro-
 natorum millia complexi, suæque aulæ pe-
 culii, reddituum, teloniorumque, ac jurium
 diversorum haud minoris pretii invasionem,
 Judæi Baruch, Greiffenclavii, & Rhei-
 nardi a Soteren oppressione, aliasque pro-
 ventuum, tributorumque, ac postremo Ar-
 chidiœcesis totius vastitatem ac direptionem
 imputabat, ideoque bonis patriis, Ecclesiæ-
 que beneficiis tamdiu, dum satisfaceret, jure
 privandos statuebat, quod vero pristinis,
 quibus se diffamarint calumniis, non con-
 tenti, novis etiamnum opprobriis traducant,
 ac si Condæi filium in Trevericæ sedis Ad-
 jutorem decrevisset assumere: idcirco illos
 pro infamibus, atque infidis hominibus,
 proque abscissis Capituli membris, voti om-
 nis tam activi, quam passivi, in quocunque
 negotiorum genere incapaces habendos esse
 statuit, ac declaravit, monuitque Capitulares
 hic præsentis, ne quemquam alibi, quam
 extra suam Ecclesiam residere patiantur,
 suosque adstringant Collegas, ut Decano,
 Capitulo, totique Provinciæ sufficienter ca-
 veant,

veant, neutralitatem & pacta cum Rege Sæc. XVII.
Christianissimo in conservationem Archidia- A. C. 1646.
cesis necessario inita, sine communi consensu
nunquam per illos infractum aut distur-
batum iri.

Hæc quidem crimina Elector Canonici imputabat, genuina vero indignationis causa erat, quod Canonici Colonie de Coadjutoribus tam Electori, quam Præposito subrogandis consultassent, veriti, ne Elector gravi senio pressus, Gallicæ factionis hominem substitueret: Decreverant insuper Canonici, quod Electorem ad clementiam & præteritorum oblivionem inclinare, eique modeste suggerere vellent, quatenus urbem novis propugnaculis, Gallicoque milite onerans, & Husmannum ac Meternichios insequens, Cæsareæ transactionis decreta utrinque recepta violasset, nunc vero cuncta ad pristinam tranquillitatem revocare dignaretur: postquam vero Canonici damnationis sententiam contra Husmannum & Meternichios latam, publicis Templorum valvis ab Archiepiscopo affixam fuisse compererant, Damnianus Henricus, & Lotharius Fridericus Meternichii, necnon alii Canonici, qui Treviris adhuc substiterant, urbe sese subduxerunt, ad ceteros Coloniam profecti. Ibidem innocentiam suam

Sæc. XVII. vindicaturi has ad Archiepiscopum Ele-
A. C. 1646. ctorem literas dederunt: „Supplicamus,
 „atque enixe precamur, ut Archiepi-
 „scopus noster Capitularium memor le-
 „gum, quas jurata ante commissum re-
 „gimen fide suscepisset tuendas, citra
 „indignationem patiaturs se rebus gra-
 „vioribus Archidiœcesis bonum concer-
 „nentibus per Capitulum admoneri, &
 „deliberandi causa ab eodem tuto loco
 „conventum institui. Deinde ut facta
 „Husmanno & Baronibus Metternichis
 „præteritorum, ex pacto Cæsareo gra-
 „tia, Christianæ reconciliationis pieta-
 „tisque sensum admittat: præsertim
 „cum damnum in direptione Aulæ Ar-
 „chiepiscopalis illatum, rationibus nu-
 „per Confluentinis insertum reparetur:
 „neque illorum tantum, verum & re-
 „liquorum consilio apud Ubios nuper
 „conventum fuerit. De novitia Gal-
 „los inter Principemque transactione
 „nihil nobis compertum est, adeoque
 „nec damnata illa a nobis, nec pro-
 „bata, precamur tantum impense, ut
 „illius nobis videndi copia fiat, neque
 „contra receptam Capitulationis juratæ
 „fidem nova fœdera Capitulo ignorante
 „suscipiantur, Urbsque novis muni-
 „mentis, & militia gallica non oneretur.
 „Quam rem hætenus nobis nondum sa-
 „tis cognitam, ut jurejurando probe-
 „mus,

„mus, hoc immerito ac sine ratione Sæc. XVII.
 „postulari videtur. Hospitali Philippico A. C. 1646.
 „ac fidei commisso Soteriano nihil ne-
 „que affecimus, neque derogatum vo-
 „lumus, quod quidem æquitate nita-
 „tur. De Condæi filio diversorum nun-
 „tiorum, publicis etiam literis tam
 „Gallicis, quam Italicis & Germanicis
 „vulgatorum fama advertit animum,
 „quem cogitatio de Richelio ad Spi-
 „rensem Episcopatum traducendo quon-
 „dam suscepta jure confirmavit; spera-
 „mus tamen se, æquiores nobis, Ger-
 „manæque Nobilitati futurum Princi-
 „pem, quam ut annulum tam pretio-
 „sum extero homini consignet; nos e-
 „nim Galliarum Principes neque hostes
 „cupimus, neque nimium familiares.,,

§. CXII.

*Archiepiscopus novis molitionibus ab-
 stinere, a Cæsare jussus.*

Verum Elector ad hasce Capituli sui
 rationes flecti nescius nequidem
 Cæsaris mandato morem gerere statuit,
 asserens, se cum Cæsare tanquam laico
 pacta iniisse, huic autem in foro Eccle-
 siastico nullum esse jus sibi leges præ-
 scribendi: Hortabatur illum adhuc Im-
 perator, ut a novis hisce molitionibus
 abstineret, hanc in rem datis ad eum
 die

Sæc. XVII. die vigesima nona Maij Lintzio hisce
A. C. 1646. literis: Speravimus Dilectionem tuam
 modo a nobis præscripto, in structura illa
 cessaturam fuisse, donec informationem
 suam ratione obligationis Gallicæ nobis
 transmisisset, nostramque resolutionem Cæ-
 saream desuper accepisset. Equidem diver-
 sis ex locis, atque a fide dignis nobis refer-
 tur, quod Dilectio tua in urbe Trevirensi
 arcem cum destructione plurium insignium
 domorum & ædificiorum impensis Gallicis
 incæperit, & in hunc usque diem continua-
 verit, imo jam Commissarium Gallicum
 Treviris adesse, qui solvendis impositi præ-
 sidii stipendiis publice præpositus sit. Ve-
 rum Dilectio tua facile ipsa judicabit, quod
 hæc eis, quæ S. Imperii Constitutiones, &
 præcipue a principali ejus Electore requi-
 runt, quodque inter Nos & Dilectionem
 tuam initus tractatus continet, nequaquam
 consentanea sint; adeoque Dilectionem tuam
 de his omnibus admonere voluimus, districte
 mandantes, ut a structura illa continuo
 cesset, ab ulterioribus Gallorum solutioni-
 bus sive stipendiis plane desistat, eaque præ-
 stet, & opere ipso compleat, quæ fidelem
 & obedientem Electorem Imperii, vi jura-
 menti a Dilectione tua præstiti, decent, &c.

§. CXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.*Dura Archiepiscopi vexatio in Monachos Abbatia S. Maximini.*

His Cæsaris literis Archiepiscopus ad-
eo non a suo proposito dimoveri
poterat, ut etiam Gallorum potentia
innixus, cuncta pro suo arbitrio aggre-
deretur, ac præprimis Commendato-
ris titulum sibi vendicans, Monachos
Maximinianos acriter insectaretur. Die
ergo decima quarta Martii severam ad-
modum sententiam adversus eos pro-
auntiabat, *qua illos rebelles, atque exci-
tati ante annos aliquot ab Hispanis belli
motores, libellique Zylefiani falsitatibus &
scommatibus repleti vulgatores, & hæc-
tenus contra Dominum suum legitimum, a
Sede Apostolica præpositum Commendato-
rem Archiepiscopum refractarios esse dicti-
tabat, ac propterea illos non modo ad
patrias contributiones, sed etiam ad resu-
sionem damnorum Archidiaecesi illatorum,
tum denique ad tributa hæcenus neglecta,
nunc simul exsolvenda damnabat, addita
comminatione, ni illico obtemperaverint,
alios Religiosos esse subrogandos, relictis
duntaxat iis, qui debitam Archiepiscopo
obedientiam non detraherent.* Hanc sen-
tentiam Archiepiscopus confestim Re-
ligiosis significari iussit, misso ad eos
Ottone

Massen. l. c.

Sæc. XVII. Ottone de Sensheim ejus suffraganeo,
 A. C. 1646. cui tamen Religiosi modeste in respon-
 sis dederunt, quod præter Agritium
 electum Abbatem suum, alium sibi
 impositum Dominum ignorarent: ne-
 que duobus servire ex æquo possint,
 orentque, ut Archiepiscopus transactio-
 nis Witlichianæ, ubi juri suo renun-
 tiaffet, memoriam revocare dignetur,
 omnem se venerationem suo debere,
 atque etiam offerre Archiepiscopo in
 cæteris rebus paratos; at libertati,
 sibi jam olim indultæ, & tot Cæsarum
 decretis firmatæ renunciare non posse.
 Attamen Elector has rationes flocci
 pendens, Tribunum cum militum co-
 horte Monasterio immisit, qui per mu-
 ros clam ascendens, Religiosos ex choro
 & P. Valentinum Adami Priorem e
 cella sua abstraxit, illosque ad præstan-
 dum Commendatori subjectionis jura-
 mentum adigere sategit, reluctantes
 autem cellis inclusit, omnique mutuo
 congressu prohibitos, aqua duntaxat
 & pane sat modico, omniumque rerum
 inedia ad obsequendum impellere co-
 natus est: demum vero alios ex vici-
 nis Monasteriis evocatos subrogavit,
 Maximinianis tota Archidiæcesi exu-
 lare coactis.

§. CXIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1646.*Propudiosum diffidium inter Prædicantes Lutheranos.*

Hoc item anno Religionum concordiam stabiliendi ardor tam Catholicos, quam Protestantes inceserat, & quidem primo Fratres Walenburchii Adrianus & Petrus editis libris Ecclesiæ pacem inter Catholicos & Protestantēs revocare nitebantur. Erant ambo patria Roterodamenses, in Calviniana secta educati, qui tamen agnito errore ad Ecclesiæ Catholico-Romanæ gremium reversi Coloniam contenderunt, ubi Petrus in Mysiensem Episcopum ac suffraganeum, Adrianus vero ob spectatum Religionis studium in Adrianopolitanum Præsulem & Moguntini Archiepiscopi Suffraganeum eligebatur: Ediderant plures libros polemicos literis Colonienfibus anno hujus sæculi sexagesimo nono excusos, quos inter præcipue celebratur eorum *Methodus Augustiniana defendendi fidem*, ubi præcipue inculcabant, quod disputationes per consecutiones præcidendæ, solis expressis sacræ Scripturæ verbis inhærendum, & dogmata Catholica ex præscriptione defendenda, nec Protestantibus argumenta essent opponenda, sed

Baillet jug.
des Scav.
sur les princ.
tom. 7.
Arnold hist.
Hæres. p. 2.
l. 17. c. 15.
& c. 11.
Jæger. hist.
Eccl. l. 6.
cap. 2.

Sæc. XVII. sed his onus probandi relinquendum:
A. C. 1646. Hanc cum A catholicis disputandi me-
 thodum jam antea Veronius, Gont-
 erius & Perronius utiliore fore cense-
 bant: prorsus autem ridiculum est,
 quod Protestantes præscriptionis titu-
 lum eo ex capite exhibent, quod præ-
 scriptio sit dispositio mere civilis in ne-
 gligentia poenam adinventâ, perinde
 acsi Catholici de civili temporis præ-
 scriptione loquerentur, & non potius
 de fidei uniformitate ab ipso Christo
 Domino, ejusque Apostolis non inter-
 rupta serie ad usque nostra tempora
 illibate propagata, quæ semper in fide
 Romano-Catholica fuisset inventa, et si
 nunquam civilis ejusmodi dispositio
 fuisset excogitata.

Pariter Lutherani hoc anno cum
 Calvinistis fidei concordiam invehere
 nitebantur, solito hoc laboris emolu-
 mento, quod semper, quotiescunque
 aliqui inter hæc sectas unionis ratio-
 nes inire moliti sunt, semper ex in-
 vae hæreses, factionesque fuerint ex-
 ortæ: Præsentis autem Syncretismi
 occasionem dederat Joannes Laterman-
 nus, qui præside Joanne Bohemio Pro-
 fessore in Academia Regiomontana di-
 sputationem habuit, in qua tanquam
 fundamentum unionis cum Calvinistis
 in eundem pro Patrono Prædestinationis,
 prout

prout a Calvinistis defenditur, Divum Sæc. XVII.
 Augustinum allegabat, ac præter alias A. C. 1646.
 theses de opere conversionis, etiam
 propugnabat, bona opera esse necessaria ad salutem, hanc esse incertam, articulum de SS. Trinitate in Veteri Testamento non fuisse agnitum, nec solide ex Novo probari posse &c. Adversus hæc assertiones mox plures Præcones Regiomontani tumultuari cæperant, vociferantes, in illis multa Calviniana, Syncretistica & hæretica involvi: hos inter præcipue Cælestinus Mislenta ardentibus oculis rabiem ostentans, ad formulam concordiae, utpote librum Ecclesiæ Lutheranae Symbolicum provocabat, cujus tamen furias Latermannus illico repressit, respondens: *quid mihi cum formula concordiae?* audito hoc responso ceteri Prædicantes velut lymphati, & tam enormi blasphemia attoniti exclamarunt: *Latermannus est hæreticus*, & Hulsemanus quasi summus illius anni Pontifex pronuntiabat: *de liberatæ hæterodoxiæ reus est*. Hujus vero partes egregie tuebantur Christianus Dreierus & Michael Behmus: unde clamorosa verborum rixa in magnum erupit incendium, quod ut extingueretur, Dantiscani, Lipsienses, Wittenbergenses & Jenenses Prædicantes datis literis Regiomontanos hosce Profes-

Hist. Eccles. Tom. LXI.

C c fores

Sæc. XVII
A.C. 1646

fores ad pacem hortabantur, Argentoratenses quoque & Rostochienses Theologi sese Latermanno opposuerunt, Halberstadiani autem, Elbinenses, & Thorunienses ne hiscere quidem audebant, Halberstadienses tamen clam Latermanni causæ favēbant. Insuper plura alia, ut vocant, Ministeria in ejusdem favorem sua proferebant judicia, quorum auctoritate animati Behmus & Dreierus anno sequenti publicum programma affixerunt, in quo Mislentæ argumenta confutarunt. Postquam vero Scharsius contra Calixtum in publico programme ostenderat, quod Filii Dei apparitiones V. T. non faveant Ariamismo: tunc primum discordiarum flammæ in apertum erupere incendium; Calixtus enim confestim aliud scriptum Scharfiano oppositum valvis affixit, necnon literas ad Academiam Wittenbergensem transmisit, quæ pro classico fuere ad bellum accendendum. Prodiere postmodum utrinque scripta amarulento calamo exarata, & præprimis Hulfemanus Dialysin Apologeticam Problematis Calixtini de SS. Trinitatis Mystério in V. Testamento non patefacto edidit, pluresque alii pro privato cujusque studio scripta plerumque convitiis scatentia vulgarunt, demum hæc opinionum varietas in animorum dis-

sensio-

ensionem degenerans, tam altas e-Sæc. XVII.
git radices, ut Myslenta Bohemum, A. C. 1646.
qui tamen primum anno millesimo sex-
centesimo quinquagesimo septimo obie-
rat, nec funeris exequiis, nec sermone
funebri honorari permetteret, se lucu-
lentam de illo ultionem sumpsisse, &
maximum exin damnum eidem intu-
lisse ratus: *Res certe*, addit Jægerus,
miseranda fuit, quod Viri tum eruditissimi,
& heroes Ecclesiæ nostræ in propria viscera
savierint, cum potius arma contra COM-
MUNEM HOSTEM, hoc est Papismum,
vertere debuissent, illa tempestate maxime
grassantem. Ejusmodi animadversio-
nem absdubio *Evangelica* charitas, ac
mansuetudo, quam Lutherani in suis
scriptis contra Catholicos passim jacti-
tant, huic Viro extorsit.

§. CXV.

Achiles Estampes Cardinalis mortuus.

Ex Purpuratorum Collegio nonnisi tres *Ciacon. in*
hoc anno obiisse comperimus, at-*vita Urba-*
que hos inter primus erat Achilles *nus VIII.*
Estampes de Valenzay Gallus ex Ordine
Equestri sancti Joannis Hierosolymitani.
Hic dum militiæ rudimenta poneret,
nonnisi septendecim annos natus, Me-
litensem Insulam, quam Turcæ aggre-
diebantur, propugnavit, nec recessit a
C c 2 pu-

Sæc. XVII. pugna, nisi pluribus, mortiferisque pla-
A. C. 1646.gis faucius. Postmodum vero Ludo-
 vici Franciæ Regis signa secutus, Mon-
 tis Albani obsidioni interfuit, itidem-
 que quatuor luculenta vulnera accepit.
 Supremum quoque militiæ imperium
 sub Carolo Emanuele Sabauda Duce
 tenuit, & Verruam ab Hispanis de-
 fendit, eruptione tamen facta a suis
 destitutus, fauciusque ab iisdem captus
 est. Obtenta libertate in Gallias re-
 versus, Anglicam classem Rupellenfi-
 bus suppetias laturam repulit, in vir-
 tutis præmium honorificis dignitatibus
 a Rege, & Regina auctus. Demum
 Melitam redux, in pluribus bellicis ex-
 peditionibus præclara fortitudinis suæ
 specimen edidit, quorum fama Romam
 delata, Urbanus VIII. Papa illum Ec-
 clesiastici exercitus contra foederatos
 Italiæ Principes Præfectum, reddita
 autem pace Cardinalem Diaconum no-
 minabat: Intererat comitiis Innocentii
 X. quibus absolutis in Franciam se-
 cundo itinere contendit, ast vel quod
 Pontificis Gallis minus accepti electio-
 ni suffragatus esset, vel Antonii Bar-
 berini causam agere crederetur, pri-
 ma vice ad Regis alloquium non est
 admissus, Parisios ingredi prohibitus:
 altera autem admissus quidem, re ta-
 men infecta Romam reverti iussus est,
 ab

ubi senio confectus, die vigesima septima Junii anno ætatis suæ sexagesimo secundo obiit, sepultus in Ecclesia Carmelitarum Discalceatorum S. Mariæ de Victoria.

Sæc. XVII.

A. C. 1646.

§. CXVI.

Joannis Dominici de Spinula Cardinalis obitus.

Alter erat Joannes Dominicus Spinula patria Genuensis, qui sub cura & patrocinio Cardinalis Saulii prudentissimi senis Romæ varia obibat munia, non sine magno integritatis, ac prudentiæ encomio: postea ab Urbano VIII. Cardinalis, & ad Regis Catholici nominationem Materanus Archipræsul renuntiatus, sexto post anno ad Lunensem & Sarzanensem Episcopatum transferebatur, tandem Mazariensi Ecclesiæ præfectus, ibidem restaurato Episcopali Palatio, annos natus sex supra sexaginta die undecima Augusti decessit.

Vittorell. in

add. ad Cia-

con. Ughell.

Ital. Sacra.

§. CXVII.

Antonii Barberini Cardinalis extrema.

Postremo die undecima Septembris Romæ decessit Antonius Barberinus Urbani VIII. Pontificis Frater, qui

Cc 3

vix

Sæc. XVII. vix biennis Patre suo orbatus, a Ma-
A. C. 1646. tre tamen ad omnem pietatem enutri-
 tus, anno ætatis suæ decimo nono
 Fratrum Capuccinorum Ordinem am-
 plexus est, in quo consuetis Instituti
 sui austeritatibus haud contentus, om-
 ni pœnitentiarum genere in imbecille,
 innoxiumque corpus suum desæviit.
 Inter ceteras tamen virtutes eminuit
 profunda sui abnegatio, & generosus
 honorum, mundique contemptus, unde
 percepta Maphæi Barberini fratris sui
 electione in Cardinalem, & postea in
 Pontificem nullo dato lætitiæ signo ex-
 clamabat: *Quam tui misereor mi frater,*
vicem tuam doleo, quod tantum tibi onus
impositum audiam: adjuvet te Deus! Ipse-
 met quoque nonnisi invitus, Senoga-
 liensem Episcopatum ac denique Pur-
 puram acceptabat, nihilque immutato
 vitæ genere, quamvis perhonorificis
 opimisque dignitatibus, ac officiis de-
 coratus esset, omnem tamen pompam
 ab ædibus suis exulare iussit, ac exi-
 guo famulitio contentus, in summa
 victus parsimonia vitam transegit, cun-
 ctasque opes, quas a Deo & Ecclesia
 receperat, fidelis Minister in sublevan-
 das pauperum necessitates, & erigen-
 das, aut exornandas Ecclesias & Cæ-
 nobia profudit, suorum Nepotum ac
 familiæ, quantumvis ære alieno gra-
 vatæ

vatae penitus in supremæ voluntatis suæ Sæc. XVII.
 tabulis oblitus. Tandem meritis cla- A C. 1646.
 rus anno ætatis suæ septuagesimo se-
 ptimo obiit, sepultus in Templo Ca-
 pucinatorum, apposita humili hac inscri-
 ptione: *Hic jacet pulvis, cinis, & nihil.*

His Innocentius X. nonnisi unicum
 subrogabat Cardinalem, Joannem Ca-
 simirum Sigismundi III. Poloniæ Regis
 Filium. qui tamen altero post anno di-
 missa Purpura in Poloniæ Regem die
 quarta Novembris renunciatus est.

§. CXVIII.

Diversæ Innocentii X. Pontificis Ma- ximi Constitutiones.

Inter varias, quas Innocentius X. Papa Bull. magn.
 hoc anno edidit, Constitutiones re- Innoc. X.
 latu digna est illa, qua die decima Const. 15.
 nona Februarii Cardinalibus, ne sine Vid. supra
 Pontificis licentia a Statu Ecclesiastico hoc libr.
 recederent, interdixit, & extra ditio- §. 62. p. 202.
 nem Ecclesiasticam agentibus, redditum
 præcepit: Occasionem hujus decreti
 jam supra adduximus: cum vero qui-
 dam Regulares, & præcipue Jesuitæ
 in Polonia Parochis, aliisque Benefi-
 ciatis decimas, quæ a laicis solveban-
 tur, priusquam bona ad illos fuerant
 translata, solvere negligerent, hinc
 die vigesima prima Decembris summus

Sæc. XVII. Pontifex ad totius Cleri Polonici pre-
A.C. 1646. ces, decretum sacrae Congregationis
 Concilii Tridentini confirmavit, vi cu-
 jus decifum, solvendas esse has deci-
 mas, quæ solvebantur a laicis, priusquam
 bona in Patrum Societatis, aliorumque Re-
 gularium proprietatem fuerunt translata,
 firmis tamen manentibus transactionibus de-
 super factis. Alia demum Constitutio-
 ne die decima sexta Martii Papa reli-
 gionem Religiosorum Scholarum Pia-
 rum in Congregationem reduxit si-
 mulque die quarta Decembris declara-
 vit, quod concessionem a nonnullis ejus-
 modi Religiosis obtentæ, ut habitum
 Presbyterorum sæcularium assumere
 valeant, censeantur revocatæ, nisi illis
 infra quadrimestre utantur.

§. CXIX.

Sacrarum Congregationum decisiones.

Decif. S. *Congr. Rit.* *Concilii Sc.* **O**ccurrentibus variis dubiis hoc item
 anno Sacrae Congregationes Ro-
 manæ circa Ecclesiæ disciplinam varia
 condiderunt decreta, & quidem primo
 die vigesima tertia Februarii sacra Ri-
 tum Congregatio declaravit, quod
 Episcopus aliunde non obstrictos ad ce-
 lebrandum in Cathedrali obstringere
 nequeat. Die autem decima quarta
 Aprilis a S. Concilii Congregatione sta-
 tutum,

tutum, quod Regularis Sacerdos, qui ^{sæc. XVII.}
 absque prævia Ordinarii approbatione ^{A. C. 1646.}
 Confessiones sæcularium excipit, ab
 Episcopo censuris etiam castigari possit,
 etsi in Tridentino nulla pœna sit adjecta.
 Eadem quoque Congregatio die quarta
 Maij declaravit, quod Canonici, &
 Beneficiati pro Missa Conventuali, pro
 qua emolumentum, & distributiones re-
 cipiunt, non possint aliam eleemosynam
 recipere, & Sacrificium alteri appli-
 care. Decisum quoque habetur die
 decima tertia Julii a S. Congregatione
 Episcoporum, quod Confessarii Regu-
 larium restringi non debeant ad duos
 Confessarios pro qualibet Ecclesia: ea-
 dem quoque die declaratum, quod
 Capuccini pro SS. Sacramento retinere
 possint Tabernaculum, etsi affabre ela-
 boratum: præscriptumque est die vige-
 sima septima ejusdem Mensis, quod quæ-
 libet Collegiata suum habeat organum.
 Die autem decima septima Novembris
 Ubaldus Coratia Sacerdos & Canoni-
 cus a S. Rituum Congregatione decidi
 petiit, an sibi competat locus & præ-
 cedentia super alios Canonicos Ripanæ
 Ecclesiæ ad Ordines Sacros non pro-
 motos, sed tantum de Canonicatu pro-
 visos, responsumque fuit affirmando.
 Denique die septima Decembris S. Con-
 gregatio Episcoporum decidit, quod

Sæc. XVII. translatio onerum Missarum Oratorio
A. C. 1646. vel Sacello angustiori relictarum fiat ad
 Matricem seu Parochialem, & non al-
 liam: declaratum insuper, quod nec
 Confessarii Regulares, nec Regulares
 possint virtute suorum Privilegiorum
 absolvere a casibus & censuris Epi-
 scopo reservatis.

§. CXX.

*Quorundam Scriptorum religione Ca-
 tholicorum obitus.*

*Le Long.
 Bibl. Hist.
 Colomes.
 Gall. Orien-
 tal Lanoy
 Acad. Paris.
 Miræ. script.
 Sæc. XVII.*

Paucos ex Scriptoribus Ecclesiasticis,
 qui hoc anno calamum cum vita
 posuerunt, recensere lubet. Hos in-
 ter primo occurrit Joannes Briccius,
 qui sub alieno nomine edidit Martyrium
 S. Christinæ, vitas SS. Francisci Ca-
 roli & Franciscæ Romanæ: Stationes
 Romanas quadragesimæ, militem S.
 Ecclesiæ, Historiam de creatione mundi
 & plurima alia. II. Franciscus Anto-
 nius Biondus, ex Ordine Fratrum Mi-
 norum Ortonensis Episcopus, qui tra-
 ctatum de censuris & irregularitate po-
 steris reliquit. III. Achilles de Har-
 lay Macloviensis Episcopus ex Congre-
 gatione Patrum Oratorii, qui quidem
 nil nisi vitam Cardinalis Richelii, va-
 riasque literas occasione dissidii inter
 Mariam Mediceam, ejusque Filium
 Ludo-

Ludovicum XIII. Franciæ Regem scri- Sæc. XVII.
A. C. 1646.
pserat, ingens tamen emolumentum li-
terariæ Reipublicæ attulit per plurimos
Codices antiquos, quos Ottomanicæ
Portæ Legatus secum Constantinopoli
in Gallias retulit, ejusdemque Congre-
gationis Patribus dono dedit. IV. Be-
nedictus de Passaflumine Franciscanus,
qui brevem descriptionem de origine
Ecclesiæ Cephaleditanæ, ejusque Urbis
& Diæcesis, necnon vitam Francisci
Gonzagæ præter plura alia edidit. V.
Ferdinandus de Mesa, scripsit varias
resolutiones & interpretationes juris.
VI. Franciscus de Raconis, qui in Cal-
vini secta educatus, postea ad fidem
veram reversus, ac Sorbonæ Doctor
præter philosophica edidit triumphum
veritatis, Parallela inter Deum & ani-
mam, epistolas spirituales & instructi-
vas, pluraque alia. VII. Franciscus
Diez Ord. FF. Prædicatorum, qui Evan-
gelii prædicandi desiderio ad Sinas
missus, multa, eaque acerba sustinuit,
ac demum ex ictu lapidis ab infideli in
pectore recepto animam Deo reddidit:
edidit Ky mung id est, *incipientium do-*
ctrinam pro Neophytis Sinensibus, nec-
non tractatum de quatuor virtutibus
Cardinalibus, & Passione Domini præ-
ter vocabularium Chinense-Hispanum.
VIII. Inter ævi sui foeminas ingenio &
pie-

Sæc. XVII. pietate præstantes eminuit Cæcilia a
A. C. 1646. Nativitate, quæ Nobili genere in Hi-
 spaniis orta, atque in latino & Ara-
 bico sermone versatissima inter Carme-
 litanas Virgines Discalceatas nomen
 suum posteritati commendabat: cum
 enim pietatis operibus, sacrisque le-
 ctionibus assidue intenta esset, abstru-
 siores etiam sacræ Paginæ sensus lucu-
 lenter exponebat, edito *commentario in*
obscuriora loca Divinorum Bibliorum:
 scripsit quoque tractatum aureum de
 immaculata Dei Conceptione, præter
 plura carmina Mystica & Codicem vitæ
 suæ: transtulit quoque ex latino ser-
 mone in Arabicum, Officia B. Virginis
 Mariæ & Mortuorum: Obiit demum
 die sexta Aprilis annos nata septuaginta
 duos. IX. Petrus Protonotarius Apo-
 stolicus edidit laboris encomia & ace-
 diæ vituperium, necnon Historiam mi-
 raculorum B. V. ad S. Willebrodum.
 Ex Societate obierunt. I. Caspar Hur-
 tatus, qui disputationes scripsit de Ma-
 trimonio & censuris, de Incarnatione,
 Sacramentis, Eucharistia, Sacrificio
 Missæ & Ordine, de Beatitudine, &
 actibus humanis, pluresque alios
 tractatus Theologicos. II. Ferdi-
 nandus Salazar, qui expositionem in
 Proverbia, Cantica Canticorum, nec-
 non defensionem Immaculatæ Conce-
 ptionis

ptionis posteritati reliquit. III. Joan- Sæc. XVII.
 nes Hoferus, qui relictis Lutheranis A. C. 1646.
 Catholicam fidem professus, conversio-
 nis suæ Historiam ad Saxoniae Electo-
 rem transmissit, unacum vocatione sua
 ad veram fidem a calamo hæretico
 Winchenii vindicata, præter responsum
 ad censuram Christophori Bulæi contra
 ipsius vocationem. IV. Paulus Sher-
 logus, qui antiloquia in Cantica, &
 antiquitatum hebraicarum Dioptra vul-
 gavit. Præter hos eodem anno obiit
 Erycius Puteanus Lovanii Historiogra-
 phus Reginus qui de usu fructuque libro-
 rum, & Bibliotheca Ambrosiana, præ-
 ter Homilias de Purificatione, Annun-
 tiatione & Assumptione B. V. de S. Ja-
 cobi adventu in Hispanias, necnon Hi-
 spaniarum Vindicias tutelares, plura-
 que alia Historica, Philologica & Po-
 litica scripsit.

§. CXXI,

Scriptores Acatholici hoc anno mortui.

His quosdam ex Scriptoribus Acatho-
 licis subjungimus, ex quibus I. *Freher*
 decessit Thomas Lydier patria Anglus, *Theatr.*
 qui tractatum de variis annorum formis, *erud.*
 ejusque apologiam contra Scaligerum, *Wite mem.*
 explicationem argumentorum de Na- *Theol.*
 tivitate Christi, & Ministerio in terris,
 plura-

Sæc. XVII. pluraque alia ad chronologiæ notitiam
A. C. 1646. utilia scripsit. II. Christophorus Wel-
 hamer Ambergensis Palatinus, qui teu-
 thonico idiomate inspidos prorsus ser-
 mones confarcinavit. III. Joannes
 Saubertus Altdorfiensis edidit Calen-
 darium Christianum, miracula Augu-
 stanæ confessionis, Anti - Smalcium,
 Lutherum Prophetam Germaniæ, Psy-
 chopharmacum pro evangelicis, & Pon-
 tificiis, & plura alia vix memoratu
 digna. IV. Joannes Gregorii scripsit
 notas ad Juris Ecclesiastici inspectionem,
 & glossmata ad quædam S. Scripturæ
 loca. V. Polyander a Kerchoven edi-
 dit concertationem Anti - Socinianam,
 Syntagma exercitationum Theologica-
 rum, tractatus Theologicos, de exi-
 stentia Christi, Harmoniam locorum
 S. Scripturæ discrepantium, disputatio-
 nem contra invocationem Sanctorum,
 & adorationem reliquiarum præter plu-
 rima alia. VI. Joannes Rudbeck scri-
 psit articulos doctrinæ Christianæ, Bi-
 blia Suecica, dissertationes de reli-
 gione Moscovitarum, & super
 Evangelia.

